C 2

VENETO

-60

K

Di Sotto

Sc. I.

8. e. 61

$$\frac{hz}{x \quad \omega - f^2}$$

CORPVS IVRIS MEDICINALIS

In Tres Libros Diuiſum,

Quo

MEDICVS

NATVRÆ ACCVSANTIS,

ET MORBI ACCVSATI

IVDEX

Propoſitas Lites ſecundùm Neuthericorum fundamenta dirimere ſciat.

AVCTORE

IOSEPHO SCHIFFMAN

HELVETO LVCERNENSE

Philoſophiæ, & Medicinæ Doctore:

ATENEO VENETO BIBLIOTECA

R. ISTITUTO VENETO VENEZIA

VENETIIS, M.DC.LXXIX.

Apud Antonium Boſium.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

EXCELLENTISSIMIS VIRIS

ALOYSIO PRIOLO,
NICOLAO VENERIO,
SYLVESTRO VALERIO,

EQVITIBVS

DIVI MARCI PROCVRATORIBVS,

Celeberrimi Studij Patauini Præsidibus,

Omnium Scientiarum Encyclopædijs,

In omnibus incomparabilibus Patronis suis clementissimis.

D. D.

SIcuti omne Creatum : Viri Illustrissimi, Eccellentissimi: Solem tanquam sui fautorem respicit, sic omne ius expostulat, vt primus literarij laboris mei fœtus, Vos O Magna Maximi Orbis Miraculi Lumina! ea, qua par est reuerentia veneretur; siquidem ille non solùm per vigilantissimam

veſtram Patauinæ Palladis cuſtodiam primũ vitæ vigorem hauſit, ſed & obſtetrice veſtra nullo proprio termino metienda auctoritate feliciter in publicam lucem prodijt. Quo iam Natus pabulum & contra tàm varias teneræ iuuentutis iniurias munimentum quærat? non diu hæſijt, quippè Maris vndæ huc refluunt, vnde promanebant, ſic & meus literis incorporatus primogenitus in veſtros amplexus ruit, vt in eis eo ſapientiæ lacte, quo fœtus fouebatur, nunc & natus nutriretur. Quo nutrimẽto in talem virum euadere ſperat, quem etſi virtutis comes inuidia premat, nunquam opprimet, nec dentati vitilitigatorum morſus offendent. Nec mirum, quippè eodem nutrimento alatus ille Leo Herculeas aſſumpſit vires, quibus fortiſſima ſemper hoſtium euibrat tela; nam feruente veſtro in bonas artes affectu ſuam fortitudinem applicare docetis arma eius beatis, & vitam irrefrangibili clypeo præmunitis. Sub cuius clypei vmbram igitur etiam admitti ſupplex rogat debilis ingenij mei partus *Iuris* ſcilicet *Medicinalis Corpus* ſine Vobis O Patrię Patres! orphanus; veſtris autẽ ſi illud immortalibus adornaueritis nominibus tutò liber ibit in Orbem. Ante veſtrum itaque Sapientiæ, & Clementię Tribu-

nal

nalid mecum humillimè depono, me in æternam veſtram ſeruitutem, liberũ verò ad debiti obſequij mei Theſſaram, & ad honorum auctionem dicans dedicans. Deus ter Optimus Maximus luminũ Pater adhuc per multos annos veſtrę mentis lampades, quibus virtutem per tenebroſas falſitatis ambages tutò ad veritatis littus ducitis, illuminet, & Dominationes Veſtras Excellentiſſimas ſanitate, felicitate ijſquè incrementis augeat, quæ omnia mihi totique Patriæ exoptare fas eſt. Viuite igitur Deo, Patriæ, &

Excellentiſsimarum D.D. V.V.

Venetijs, Calendis Auguſti M.DC.LXXIX.

Humillimo, & obſequentiſſimo Clienti

Ioſepho Schiffman.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

AMice Lector, scio equidem me publico mundi ludibrio exposuisse, dum huius Opusculi editione fulgidissimo præstantissimorum Auctorum albo, me annumerare conabar. At dum me quoque non latuit, plurimos me tempore & Doctrina antecessisse, qui æquè ludificatorum mores non aufugère, Consolatus cæptis insistebam, hac insuper instigatus intentione, quam in omni disciplinarum genere ad Gloriæ, & Virtutis apices perueniendi necessariam omnis generosus animus amplectitur: sibi proponendo aut Cæsar, aut nihil. Quod mihi statutum animo, dum Medicinam colere incæpi, omnibus mentis artubus tàm firmiter arripui vt id me iam, sicut equum calcaria, concitet, vt vestigijs per indefessos venerandæ Antiquitatis labores, Posteritati tritis inhæream. Quæ si auidus percurro, cur mihi eadem scientiæ limites attingere prohibitum sit, quas alij per easdem vias acquisière? quid enim est, quod Dij laboribus non vendant? Et quis mihi hanc deliberationem, nisi ipse superbus, superbam interpretabitur? Dum ad eam capessendam suadet ratio, Veterum exemplar dictat, officium adhortatur præmium monet, & instigat conscientia. Pudeat enim me Medicum profiteri, si Antecessorum laborem mihi otium parere sinerem.

Aequum igitur laborem lubens suscepi, quo post iacta geminarum sororum Philosophiæ, & Theoriæ fundamenta Curiam ædificem, in quam omnes morbos sigillatim ad Iudicium citem, eosque qualitatibus suis debitæ submittam sententiæ. In eo metam Hippocratico Galenicam, necnon Chymicorum subtilitatibus illustratam seruaui nam quod Annulo Gemma, id Chymia Medicinæ præstat, in nullius tamen Veritati addictus iuraui verba Magistri. An iam Iuris formam in hoc iudicio seruauerim, nescius, id tuæ beneuolentiæ dijudicandum submisse offero. quippè nullus sui iudex esse potest. Id igitur lubenti animo suscipe nec me stylique humilitatem si magis res quàm verba venari cupis, contemnas. nam plus vt docear, quàm doceam in hos erupi ausus. Errores, etsi plurimi sint, si tamen prudenter sinistrum oculum clauseris nullos videbis. Viue, & faue.

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STVDIO DI PADOVA.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato, *Corpus Iuris Medicinalis*; non esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; come parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, ò buoni costumi; concediamo licenza ad Antonio Bosio di poterlo stampare, osseruando gl'ordini, &c.

Dat. dal Magistrato li 2. Agosto 1679.

Aluise Priuli Procurator Reformator.
Leonardo Pesaro Procurator Reformator.
Siluestro Valier K. Procurator Reformator.

Lodouico Franceschi Segretario.

Adi 7. Settembre 1679.

Registrato alla Bestemmia.

Zuane Marin Segretario.

IN-

INTRODVCTIO
AD MATERIAM.

QVicquid vniuerſi Mater Natura emolitur, id omne per motum, & quietem, cuius illa principium, & cauſa eſt, efficit: Superbum enim Solis exortum ſuaui Auroræ comitatu incipit, progreſſum ſplendidiſſima meridiana luce promouet, & occaſum non admittit, niſi vigil Luna cum lucidiſſima Stellarum cohorte comitata ad ſuos peragendos curſus procincta ſit. Hæc dum pro omnium emolumento, & incremento prædictum exortum, occaſumque mouet, voluit, & reuoluit, temporum etiam vices, tempeſtatum permutationes, Oceani æſtus, & reciprocationes ea virtute, quàm plus admirari, quàm comprehendere licet, moderatur, motum tamen pro obiectorum eius diuerſitatis ratione cum quiete diſcriminans. Aqua enim non ſolùm vniuerſum mundi circulum continuo fluxu metitur, remetiturque, ſed etiam eà per attractricem Solis facultatem imbibità grauidæ nubes hinc inde diuagantur: Aer in Vndarum procellis agitatur; Ignis continuo motu efferuet; ſola terræ moles quieta, & aliàs immutabilis pro gradibilium, & vegetabilium ſubſiſtentia remanet; niſi Aer ſeſe in terræ ſinus inſinuet, ibique ſibi exitum impetuoſi machinetur, eoque illam aliquibus ex partibus conquaſſet.

Quod

Quod eius benignitas Macrocosmus præstat, eo pariformiter quoque Microcosmus veluti vniuersitatis complementum necessario gaudeat; Quippè Microcosmus ex similibus principijs, quæ dicta moderatrix gubernat, resultat. Roseus nempè vitæ liquor non solùm etiam continuò per omnes parui Mundi regiones circumgyratur, sed etiam per Cerebri attractricem, cum Solis facultate correspondentem, attractus per Cerebri gyrorum, anfractuum, & cauitatum interstitiem, veluti dicti parui Mundi firmamentum diffunditur, ibique per intrinsecum Cerebri motum agitatur: Aer in eodem cruore immixtus mansuetè fluctuatur, spirituumque ignis continuò mitique motu regurgitat.

Hæc proxima Hominis Elementa Physicis analoga ante malum *mali* morsum æquo semper amico tamen Marte pugnabant, vnde temperamentum ad *pondus* nomen suum hausit, in quo omnes qualitates pondere, & viribus passione, & actione inuicem æquabant; Cùm autem per lamentabilem hæreditarium primi Parentis mali morsum pax inter Creans, & creatum violata fuit, cum ea & qualitates creaturam constituentes fœdus perrupère, & vna alteram per temperamentum *ad iustitiam* eo vsque excedit, donec excedendo alteram penitus extinguat, eoque fatalem moriendi necessitatem inducat. Hic dum venenatus ille morsus omni felicitati implantatum Paradisi Campum inquinauerat, ex felicitatis semine omnis mali seges procreuit: Attamen & ibi iustitia Dei, quæ quatenus Iustitia, Misericordia est, vt hunc calamitatis iugum leuitate donaret, spiritualem animæ, & artificialem corpori implantauit medicinam, quæ artificialis (spirituali enim spiritualibus relicta) inter prædictarum qualitatum pugnam, ne vna alteram ante statutam vitæ perioduin supprimat, Mediatrix sit.

Cùm

Cùm autem hæ pro partium, quas informant, diuersitate variæ sint, tàm partium, quàm qualitatum naturam sigillatim inuestigemus, & Neuthericorum corporis humani partium vsum, temperamentum, affectus, eiusque essentiam, causam, signaque recensendo, & circa ea conuenientes eliciendo Indicationes, formando Prognosin, & debitam annectendo Terapiam, sequamur præceptum. Quæ methodus lapis ille lydius sit, quo ab Impostoribus multitudine Medicamentorum ægrotos decipientibus, Agyrtis, ignaris Thessalis, & Empyricorum Methodicorumque falsitatibus discernamur. Itaque si à Ioue principium, à Capite tanquam subiectarum partium firmamento incipiamus.

COR-

CORPORIS IVRIS MEDICINALIS LIBER PRIMVS.

DE ORTV CEREBRI.
Caput Primum.

CVM Franciſco Ioſepho Burho *Epiſt. 2. de Cerebri ortu ad Thomam Bartholinum* dico, Cerebrum oriri ex motu viuificante, quem Virtus immortalis duplici parentum ſemini imprimit, qui motus viuificans nihil aliud eſt, quam Natura naturans, quæ ſecundùm Philoſophos, tanquam cauſa, & principium motus ſemen agitat, ex qua agitatione palpitatio reſultat, quæ dein palpitatio ſeminis diuerſa contenta, vt ſunt glandulæ pinguiuſculæ, compactæ, ſpongioſæ, &c. in diuerſas corporis partes informat. Glandulæ enim pinguiuſculæ dicente eodem Burho *loc. cit.* Calore, & motu agitatæ ſecundùm Oleoſorum morem ſuperiora occupare contendunt, ad Cerebrum videlicet efformandum, compactæ vt cœteris grauiores ad centrum tendunt, atque in cordis ſpeciem conglomerantur: ſpongioſæ in lobos pulmonis: quæ furfuraceæ, & bituminoſæ in ſiniſtro loco applicatæ in lienem, quæ latericię,

& æruginosæ in dextro, in hepar, & fel concrescunt: mixtæ denique ex omnibus superiorum qualitatibus in densa renum emunctoria conglobantur. Quæ viscera suis infixa locis cum adolescant, motu liberiori palpitatio circumacta imaginem animalis semen mittentis similem componit, mucaginem vtpotè totum cyema inuoluentem excauando in ventriculum, perforando in intestina, terebrando in venas, complanando in musculorum membranas, exsiccando in neruos, indurando in ossa, discriminando denique in articulos. Isti tandem fabricæ, dum ea porosa epidermidis amictu vestitur expiratio, & respiratio præter palpitationem adiungitur.

Ex hac viscerum conformatione colligendum est Cerebrum ex semine oriri, eosque illudi, qui aut cordi primas generationis vices tribuunt, aut punctum illud saliens, cor arbitrantur, dum omnia viscera simul, & semel adolescere, & concrescere prædicta ipsa luce meridiana clariùs demonstrant, istudque saliens nihil aliud sit, quam motus iste viuificans, qui omnium simul viscerum agitat principia.

DE ANATOMIA CEREBRI.
Caput Secundum.

SEcundùm Anatomiæ leges aperto caluariæ ossæ, duæ membranæ, quarum superior, vt durior, & crassior, dura, inferior, vt tenuior, vulgò pia mater dicta, apparent, quæ omnes cranij sinus implentes sibique ipsis non annexæ pretiosissimum speculum, quod admiranda Diuinæ Maiestatis monumenta re-

præ-

præsentat, Cerebrum scilicet, & ea arctitudine, qua Cerebrum libero motu naturali gaudeat circuminduunt. Duplicatur hæc membrana in Cerebri vertice, Cerebrumque in duas partes, non tamen eius basin, sed dimidium Cerebri dumtaxat pertingens, seiungit. Quam duplicaturam ob falcis, quam præsefert similitudinem falcem Auctoribus nominare placuit, sub qua sinus, seu cauitas quædam *Torcular*, & *Cisterna* dicta per Sagitalis futuræ longitudinem excurrens, & ad nares vsque ferri, conspicienda est, quæ torcularis ad instar sanguinem ex venis iugularibus per vniuersam Cerebri regionem diffundat. Quam cauitatem videndam habebis, si falx in superiore, & medioxima parte cultello aperiatur, stylusque intrudatur, comperieris eius amplitudinem venæ cuiusdam maiusculæ ad instar. Hunc si sinum per longitudinem secundùm styli impositi ductum aperias, innumera in eo ab eoque orta, & in Cerebrum penetrantia obseruabis foraminula. Vnde Franciscus Syluius inter Anatomis Cultores, tunc temporis facile primus, etiam censet vasa omnia per Cerebri anfractus dispersa, arterias esse carotidum propagines, in sinus iugularibus venis continuatos, tandem terminatas: In quas Venas se exonerat sinus, indeque sanguis ad cor properat.

Remotis indumentis se illud diuinitatis particeps membrum præbet, mole magnum, virtute maximum, substantia molle, colore album; figura cranij formam æmulans rotundum, sed in basi parumper depressum, materia denique pingue; Etsi quidem Hippocrates *lib. de Carnibus*, Cerebrum pingue esse neget, neque pinguium more assari possit, ad tactum tamen cer-

tè pingue deprehendimus, materiamque oleosam scilicet seminis partem, & lympham glutinosam, si Aristoteles *lib.* 3. *Hist. Animal. Cap.* vj. fidem meretur, velut huic pinguiusculum esse dicens, pinguem esse certò credamus.

In superiori parte hanc totam mollem Cerebri substantiam crassioris membraneæ duplicatura in duas partes, anteriorem scilicet, & postetiorem diuidit, quarum illam Cerebrum propriè, hanc Cerebellum vocant, in inferiore, & media tamen parte Cerebrum cum Cerebello continuatur.

Porrò Cerebrum illud propriè dictum in binas partes, dextram, & siniſtram, vsque ad callosum apparens corpus, falx diuidit, quarum gyrorum, & anfractuum intertexus multi intelligentiæ instrumentum lepidè assignarunt, quos tantùm narura ob tenuem meningem Cerebro nutriendo dicatam, vt eius nimirum vasorum sustentacula ad penitiores Cerebri partes penetrent, fabricauit.

Disiunctas has partes, si ad trium digitorum crassitiem abscecueris priori albidior, ac coniuncta substantia Auctoribus callosa dicta sese offert. Interscecandum autem multifaria sanguinea punctula guttęque aduertenda occurrunt; quæ te in cognitionem ducant, an non, *Arist. lib.* 1. *de Hist. Animal.* dicendo: Cerebrum nihil venarum in se continere, falsum docuerit; dum præter illa punctula longæ interdumvenulæ præcipuè in inflammationibus Cerebri laborantibus colloque suspẽsis, in quibus venulæ magis turgent, manifestè conspiciendæ sunt. Hoc in calloso corpore si patienter attenteue Cerebri, quasi laminas cultello aufers, reperies duo-

duobus ventriculis excauatum, quorum figurâ ſemicirculum, aut lunam falcatam æmulat, ſitus Cerebri medium occupat. Quorum ventriculorum internam ſuperſtitiem Natura etiarn ſicut omnes partes, etſi Veſalius neget, quantum velit, membrana veſtiuit, multique non abſque fundamento illam eſſe ſtatuunt, quæ in Epilepſia vellicatur. Porrò hi ventriculi à ſepto lucido inuicem diſterminantur, in quorum fundo ruber admodum plexus coroeides, qui aliud non eſt, quam à vaſis ſupradictis à ſinu duræ matris deriuatis aggregatum corpus, atque ex ſubſtantia quadam glandulosa, illius corion in fœtu conſtituentis ſimili, quem etiam plexum Neotericorum præſtantiſſimi rete illud mirabile ſatis ingenioſi vocant: Multi etiam arteriarum ramuli, retis ad inſtar complicati, circa glandulam pituitariam à lateribus ſinus quadrati oſſis cunei formis, cui hæc glandula incumbit, apparent, quibus multi retis mirabilis nomen tribuere, alias ob maiotem mirabilitatem priori debitum.

Prædicti ventriculi, pollicis circiter latitudine antequam finiantur coeuntes, & deſcendentes tertium ventriculum aperiunt, qui eo à prioribus non realiter diſtinctus, duos ductos, anteriorem ſcilicet, & poſteriorem oſtentat, quorum anterior ad Cerebri baſin tendit, & in infundibulum deſinit, poſterior verò in quartum ventriculum procedit.

Antequam de tertio ad quartum ventriculum abeamus, neruos, qui à baſi Cerebri propè tertium ventriculum, emanationis principium ſumunt, & de eo fonte dextrorſum, & ſiniſtrorſum in ſuos à natura præſcriptos ſinus tendunt, inueſtigemus, circa quos vulgati verſus,

ob

ob omissum neruorum odoratoriorum par non adeò benè cecinere:

Optica prima; Oculos mouet altera: tertia gustat,
Quartaque; Quintaque audit, sexta est vaga: septima linguæ.

Octo itaque Cerebri neruorum paria numeramus. Quorum primum, processus papillares, à similitudine, adhærens ossi Æthmoeidi: quorum originem non ab anteriore parte Cerebri, sed si eorum ductus curiosè perscrutare velis, à medulla spinalis principio inuenies, eosque longitudine sua tres latos digitos æquantes comperieris. Hi præter id, quod attractos odores iudicent, & aerem à naribus attractum pro spirituum animalium elaboratione recipiant, crassam quoque pituitam in nares destillant, qui quandoque Cerebro non existente sicco parum excauati multi visi sunt.

Secunda coniugatio sunt nerui optici, cæteros magnitudine, & mollitie excedentes, in progressu per medullæ confusionem coniunguntur: dein disiunctim per caluariæ foraminula in oculorum centrum inferuntur, tunicæque reticulari implantantur.

Tertium par oculorum musculis aperientibus, attollentibus, superbo, amatorio, & indignatorio, &c. per varios surculos communicatum, oculorum motioni seruit.

Quarta coniugatio est gustatoriorum, qui à medulla spinali orti, vtrinque ad initium magni cranij foraminis, per quod medulla spinæ descendit, linguæ inseruntur.

Quinta societas est item gustatoriorum, est tamen priorum ad instar ex spinalis medullæ lateribus, sed circa

ca medium nati in palatum deſcendunt.

Sextum par agunt auditorij, qui à lateribus dictæ ſpinæ in aures ſe inſinuat, necnon quidam ramulos ad laryngem, & os hyoides tranſmittit. Vnde ore aperto faciliùs audimus. Magnum certè inter fauces, & aures notatur commercium, eò quod orti muti, plerumque etiam non audiant, nihil minus, quod fricato auris tympano tuſſis excitetur.

Septimum par eò quod per omnia fermè viſcera (ad ſtomachi quoque ſuperius orificium: Vnde cardiaca paſſio: at epiglottidem, hinc inde nerui recurrentes, & vocales dicti) diuagatur, vaguum dicitur, quod, dum varijs partibus communicetur, varijs etiam principijs à prouida natura donatum fuit: Vnde ſex, ſeptemque furculi quandoque viſi fuerunt.

Octauum, & vltimum ab initio finalis medullæ procedens, & ad linguæ, & laryngis muſculos delatum, loquelam format.

Explicata neruorum coniugationum ſerie Cerebrũ inuertatur, & poſteriori eius pars extollatur, vt Cerebellum dura meninge inuolutum conſpici poſſit, in qua dura meninge, ſi ea ad proximum occipitis os incidatur, atque ſecundùm ipſius oſſis parietem, curuus tranſuerſi vtrinque immittatur ſtylus, duplex inter duræ meningis membranam manifeſta apparet cauitas: pariformiter antrorſum retrò ductu tendens ſecundus patet ſinus. Sunt igitur in dicta craſſa membrana quatuor magnarum venarum ad inſtar ſanguine à iugularibus vaſis deriuato ſcatentium ſinus: ex quibus forſan Galeni Præceptor Pelops occaſionem Cerebrum ſanguinis officinam ſtatuendi ſumpſerit.

Poſthæc

Posthęc Cerebellum, si duram, & post hanc tenuẽm membranam remoueas, se proderit, quod à Cerebro, substantia, magnitudine, forma, cauitatibus, & colore multum differt. De eius vsu inuestigando multum sese incassum vatigabant curiosæ mentes, dum hucusque nihil in lucem edebant, in cuius sententiam me vlla traheret matura ratio, præter quam quod in Cerebri subsidium natura Cerebellum posuerit, quodque spiritum animalem, à Cerebri sinibus transmissum recipiat, eumque medullæ spinali aptatum communicet.

Cerebelli sectio aperit viam ad quartum ventriculum, in qua multæ partes obscenæ præsentantur, quas, si non venerandæ antiquitatis authoritati iure meritò parcerem nugas esse dicerem: siquidem ex Cerebri inæqualitatibus, & eminentijs quibusdam testes, nates, vuluam, &c. interpretantur; non alia ratione (quantum par esse videtur) quam, vt studiosam iuuentutem ad acuratiorem Cerebri inuestigationem hisce alliciant, ac incitent. In eadem tamen via glandula nuci pineæ non absimilis Conarion Auctoribus dicta offenditur, quæ nòs in maiorem eius considerationem inuitat; dum ea venis, & arterijs in Cerebrum fusis reliquarum glandularum ad instar Cerebri firmamentum creditur: Cùm tamen non plurium venarum concursum, quam alicubi conspiciamus. Quartus dein ventriculus nihil aliud est, quam quædam inter Cerebellum, & medullam spinalem calami Scriptorij formam æmulans cauitas.

Spinalis medulla, *medulla* scilicet Cerebri, candicans, portentosa, è cranio per magnum, & patens foramen deorsum per fistulosum vertebrarum cauum delabens ijsque inarctata tanquam Cerebrum oblongatum

gatum in partem dextram, & ſiniſtram per intermediam tenuem meningem, cum magna admiratione dipartitur: ex qua tanquam ſpiritus animalis fonte promanente maximo canali multi caniculi, nerui ſcilicet, pro vehendis ſpiritibus animalibus promouendo, & ſenſui aptando, totam corporis molem dicati, procedunt: quorũ in vniuerſum triginta octo ſunt paria, quorum octo in cranio, ſeptem è ceruice, duodecim è dorſo, quinque è lumbis, & ſex ab oſſe ſacro promanant, quorum molles ſentiunt, & duri mouentur; omnes tamen dura meninge obducti.

DE VSV CEREBRI.
Caput Tertium.

QVanta ſit præter dignitatem Cerebri nobilitas, quanta præter vtilitatem neceſſitas, non ſolùm verba, etſi aurea, ſatis explicabunt, ſed nec & mortalium mentis acie, etſi omnium Cerebra in vnum coagularentur, ſatis capi nequit. Id enim diuinitatis ſigillum, quo æternæ Triados ſententia, hominem ad eius ſimilitudinem faciendi, confirmata fuit, veneremur. Speculum, quo eius incomprehenſibilis maieſtas eluceat, intueamur. Firmamentum, quo paruus mundus foueatur, admiremur, Solem, quo eundem ſenſu, motuque irradiat, contemplemur; Fornacem, qua ſpiritus animales elaborantur, perpendamus; Arcem, qua immortalis animæ magnificentia reſidet, conſpiciamus; Fontem, de quo plurimi neruorum canales prouehendis ſpiritibus animalibus in omnes microcoſmi regiones diffundantur, experimur, & demum Conchã illam,

lam, in qua pretiosus ille Beryllus latet, quo nos à brutorum grege per rationalitatẽ, discernimur, credamus.

An iam imaginatio, ratiocinatio, & memoria in Cerebri sedibus distincta sint amplius pauci dubitant, & modernorum maior pars prudenter totam Cerebri substantiam indistinctè eas continere, asserit.

De Cerebri posteà motu dubitare, est lucis splendore dubitare; quippè sicut nec lux sine splendore, sic etiam Cerebrum sine motu esse nequit. Impossibile enim videtur, quod illud præstantissimum naturæ instrumentum spiritus fabricet, & totam subiecti corporis molem motui aptet, si illud quiesceret. Insuper cuius oculos in infantia, capitisque vulneribus motus iste necessarius effugit? Et quomodo sine motu subiectarum partium humores attraheret, & attractorum excrementa segregaret, & excluderet? Quomodo dein moueatur grauiter leue dubium multorum mentes agitat, an scilicet per ipsius substantiam *inuoluntariè*, an verò per membranas illas inuoluentes. Huic enim sententiæ sese adscribere, quod membranarum multis arterijs intertextarum ope moueatur, manifestè apparens impossibilitas calamum retrahit, quippè non video quomodo tanta moles à tàm paruulis arterijs moueri possit, quare in Galeni sententiam *lib. de Instr. odorat. cap. vlt.* trahi me sino, quod nimirum per ipsam Cerebri substantiam inuoluntariè moueatur.

Temperamẽto proprio gaudet respectiuè ad alias partes frigido, & humido, vnde Aristoteles 2. *de part. animal. cap.* 7. Id pro cordis refrigerio generatum fuisse, statuit. Quomodo id, vnà cum actionibus lædatur, sequentia Capita monstrabunt.

DE

DE EPILEPSIA.
Caput Quartum.

EPilepsia, morbus comitalis non immeritò à Cœlio Aur. duplici ex ratione *Sacer* vocabatur morbus, tùm ob Herculearium Virium magnitudinem, quia Antiquis omne magnum *Sacrum* dicebatur, tùm quod Sacrum illud Templum, in quo immortalis animæ magnificentia veneratur,& fornacem principalium facultatum *Cerebrum* scilicet,conuulsiuis motibus obsideat, meatusque, per quos anima spiritus animales per omnes microcosmi partes transmittit; dirè obstruat. Herculeus etiam denominatur morbus, non quod Hercules eo laborasse Antiqui magis fingunt, quàm asserunt, sed ob eius virium magnitudinem, quæ non nisi fortissimis remediorum præsidijs superari potest: Quare tàm Antiqui,quàm Recentiores hac ex sententia vnanimes stant, quod morbus hic connutritus, quasi non alio, nisi ætatis mutatione prognostico liberandus sit. Lunaticum Trallian. *lib.*1. *cap.*15.aut quod in Nouilunio natos corripiat,aut secundùm Lunæ conuersiones inuadat, nominauit. Contagiosum etiam Antiquitas credidit,vnde Plinius *lib.*28.*cap.*4.*despuimus comitales morbos*: hoc est, contagia regerimus.

DEFINITIO.

EPilepsia est actionũ principum, sensus, voluntarijque motus pro tẽpore abolitio,cum præternaturali totius corporis conuulsione, motuque conuulsiuo.

Pars affecta. *Partem affectam* primariò Cerebrum, & secundariò neruos esse dico.

Causa. *Causa* autem immediata continens, & proxima, est lympha acris, acido-austera, in Cerebro vitiata, ac redine sua neruos vellicans.

Remotas Epilepsiæ causas inuenies in glandulis lacteis; corde vtero, & hypocondrijs, vbi impuritates separantur in sanguinis circulatione, alijsque infimi corporis partibus, sicuti experientia docet, quod quandoque Patientes aliquid acre in manus pollice versus cor, Cerebrumque moueri sentiebant, quo etiam ligato paraxysmum retardatum fuisse nonnunquam compertum est. Non solùm alimenta boni succi, ob viscerum discrasyam occulta, minerali, & maligna vi humores inquinant, prauas euaporationes, motus huiusmodi conuulsiuos excitant, sed & Sanguis, Bilis, Pituita, succus Melancholicus, & Pancreaticus, Semen, Sanguis menstruus, & quicquid ad saliuam acriorem reddendam potentius se præbet, Epilepsiam causare potest.

Remotiores causæ ex rebus non naturalibus plurimæ desumuntur, vt inimicus siderum influxus, sicut videre est apud Iunctinum, & Origanum *lib.* 1. *par.* 3. *c.* 13. aer impurus subitaque eius mutatio, mora in radijs Solis diuturnior, vina fortiora, excrementorum consuetorum suppressio, cibi graueolentes, & facile corruptibiles, fructuum horariorum crudorum vsus: sicuti ex nimia lactis ingurgitatione Virginem *Epilepsia* correptam, testatur Franciscus Hildesheim *in Spic. pag.* 599. Forestus *lib.* 10. *Schol. obser.* 57. etiam accusat carnes Hędorum, hepar Hircinum, Coturnices, Passeres, Anguillas. Iulius Alexandrinus *lib. Salub.* 8. *c.* 7. Lentes etiam damnat.

damnat. Sternutationem sufflaminatam caducum erexisse ad casum notauit Salmuth. *lib.* 1. *obseru.* 39. Hanc etiam excitare grauia animi Pathenata, vt ira, terror, timor, meditationes cum tristitia diuturniores, venus immoderata teste Salmuth.

Præternaturales quoque res ad Epilepsiæ causam cõcurrunt, vt vulnus cum cranij fractura, Cerebri abscessus, menynxque corrupta, sudoris critici suppressio, temporum, oculorumque alapà concussio, & percussio, araneæ, & equi morsus, vermes infantium, ventriculum, & intestina lacinantes. Tanta demum huius lunatici affectus est causarum Catalogus, vt integrum de his tractatum exigeret. Plura desideranti monstrabit Galen. *de loc. aff. cap.* 5. Schenckius *lib.* 1. *de Epilep. obser.* 185. Gubel Koffer, *cent.* 4. *curat.* 6. Amatus Lusitan. *centur.* 12. *curat.* 90. alijque quamplurimi, tàm Antiqui, quàm Recentiores.

Differentia.

Idiopatica est, vel Sympathetica, fortis, leuis, inordinata, hæreditaria, vel proprio vitio, rerumque non naturalium indebito vsu acquisita.

Diægnosis.

Hanc prodit dolens graue, & vertiginosum caput, faciei pallor, extremarum partium frigus, & tremor, in gyrum propulsio, cordis palpitatio, nunc plurium, nunc pauciorum corporis partium conuulsio, arctè reclusæ manus, dentium stridor, spuma oris, inuoluntaria seminis, vrinæ, fœcumque emissio, sensuum tùm in: tùm externorum cessatio. Diuersificatur autem Diagnosis differentia affectus, ex qua difficilior Prognosis formari potest: sicut enim Iuris peritorum mẽtis aciem causarum tractandarum implicatio suspendit; sic Medicum tanquam inter naturam, & morbum Iudicem

Cau-

Cauſarum, Signorum, & eo ipſo affectus intricatio ad *Prognoſticum* cautum reddat, Prognoſticum enim eſt Aſinorum pons, ad quem Agyrtæ temerario currunt pede, Sapientes verò tremunt: Quod hoc in ſtatu ſuadet quotidiana experientia, quæ à viris arte probatiſſimis, conſcripta medicamenta ſine fructu applicata fuiſſe docet.

Prognoſis. *Idiopatica* itaque difficillimè curatur, facilius *Sympathetica*, & hæreditaria nunquam Idiopaticæ difficultatem mutatio, Sympatheticæ florentia ætatis adimit, hæreditariæ verò difficultas, aut potius curandi impoſſibilitas manifeſtatur ex eo, quod morbus hic naturalis ſit. Cœterum præter diuini Hippocratis authoritatem *in Aphor.7.* in quo dicit: *Epilepſia ante pubertatem amotionem recipit, poſt vigeſimum quintum annum ferè comitatur ad mortem vſque*. Idiopaticam mutatione, Sympatheticam florentià ætatis propulſam fuiſſe experientia ſatis teſtatur,& ratio nihil minus probat: Nam puerorum nerui molles, ac imbecilles, ob vitam intemperatam, ac intempeſtiua exercitia crudos humores facilè excipiunt, vnde Epilepſia radicem fodit, ſuccedente autem ætate, calida, & ſicca materia morbum fouens, inciditur, & attenuabitur.

Huic Prognoſi magna Impoſtorum Grex dubium tollere conatur, dum ſeſe ipſos poſt annum vigeſimum quintum multos curaſſe, aut ab alijs curatos vidiſſe gloriantur, ſed perſanatos credulis tantùm credendum, ſiquidem vt obſeruat Trincauellius *lib.1.conſil.29.* Senem quinquagenarium, qui 25. annis Epilepticis inſultibus moleſtabatur, curatum fuiſſe, ſed curata *Epilepſia* in febrem, & ſcabiem, lepræ familiariſſimam, quæ patienti plus

ti plus negotij faciebat, incidisse. Valesius alias Author non contemnendus, multoties Epilepticos mox surrexisse, si in eorum aures sequentes versus insurrerentur, exaggerauit.

Gaspar fert Myrrhã, Thus Melchior, Balthassar aurũ,
Hæc tria, qui secum portabit nomina Regum,
Soluitur à morbo Christi pietate caduco.

Hoc tamen naturalitati ab omnibus interdicetur, aut supernaturalitati, aut clamoris in aures facto impetui, qui materiam morbificam discuteret, attribuendum. Huic non absimile affert Gal. 6. *simp.* 96. puerum, cùm per octo menses conuulsiuis passionibus vindicaretur, à magna parte radicis Peoniæ recentis collo suspensa liberatum, & detracta eadem radice Peoniæ, iterum correptum fuisse, quod nihilominus salua tamen auctoritate omnem excedit fidem, si ratio quædam verum patefaceret, esset hoc, quod ipse Gal. *loc. cit.* affert. *Rationabile ita erat*, inquit, *partes quaspiam à radice defluentes, ac deinde per inspirationem attractas, affectos locos curare, aut aerem à radice assiduò nutriri, & alterari.* Ad hæc, quæ dicam nescio, aut Galeni tempore aliam virtutem Peoniæ infuisse, necesse est, aut nostro etiam sæculo, huiusmodi effectus conspiciendi essent, qui nec à radice Peoniæ, nec ab alijs Amulethis eliciuntur, nisi Mulierculæ, Barbitonsores, Herbarij, & Impostores, multitudine medicamentorum (vt Plinius refert:) ęgros decipientes effectum tribuant Amulethis, alias à viro bono, & medendi perito methodici adhibitis debitum.

Pro enumeratis indicatur Cerebrum expurgandum, corroborandumque non solummmodo lympha temperanda, sed & cœteri humores temperandi, causæque *Indicationes.*

que remotæ impediendæ.

Curatio. *Curatio* ex omnibus medicinæ fontibus haurienda, Chyrurgico, Pharmaceutico, & Diæthetico. Chyrurgicus fons suadet quandoque in paroxysmo leuem sanguinis missionem, ad sanguinis, ab acido, austera lympha, quasi coagulati motum conciliandum, & hanc in brachio instituendam censet Aurelius. Commendatur autem à Celso V. S. in partibus inferioribus, at multi eique varij obseruarunt Practici, sanguinis missionem tàm intra, quàm extra paroxysmum adeò nocuisse, vt in dies paroxysmorum furiæ adaugerentur. Iacobus de Maphæis *Consul.* 1. ad Ignatium Thiermaierum *de Epilepsi.* post brachijs, & coxæ inusta sine fructu Cauteria inurendum, & nuchæ vnum censet, vel iuxtà futuram coronalem, non negligendo etiam inustionem in coxa sinistra. A magna doctissimorum copia recomendantur clysmata, & suppositoria, vesicantia, frictiones, clamores, punctiones, membrorum ligaturæ, oris apertio, partium in rectum extensio, pedetentim autem, non verò vi, nam ossa inde luxata, imò quandoque fracta annotauit experientia.

Pharmacia. In Pharmaceutico fonte, quasi omnes Pharmacopęarum Pyxides concurrunt, vt hunc caducorum morbum supprimant, erectionemque prohibeant. Inter quæ semper prima *lenientia*, vt Syrupus Regius, Infusio Magistralis Sennæ, cum tinctura Ellebori, Syrupus Catholicus, Confectio passulata Mynsichtij de Tamarindis, Aqua laxatiua, Syrupus Rosatus solutiuus, Mel Rosatum solutiuum, Manna liquida.

Alterantia. *Ex alterantibus* eligantur, quæ deobstruendo, contemperando, roborando, corruptioni, & malignitati resisten-

siſtendo, & fermentationes figendo ſuum melius præſtant officium, quod præcipuè peragit vſus acidulorum, iuſcula pulli, cum decocto Ruthæ, Caprariæ, Bethonicæ, Primulæ veris, Scorzoneræ, Cichorei cum toto, Acrimoniæ, Scolopendrij, Borraginis, præmiſſis tamen cochlearibus duobus ex Iulapio Bezoardico, Syrupo de corticibus Citri, floribus Tunicæ, Peoniæ, &c.

His ſuccedunt decocta, vt decoctum Chinæ, raſuræ *Decocta.* Eboris, viſci querni, in iure columbæ ſylueſtris, vel turturis, aromatizando modico Macis.

Huc etiam non ſine magno emolumento referri poteſt Quercetani Hydroticum ſic formatum.

℞ *Raſ. lign. Buxei ℥nc.ij. ſ.*
Iuniperi
Rad. Peoniæ,
Viſc. Querni ana ℥nc.i. ſ.
Raſ. Lig. Rodij,
C. C. ana drach. ℥i.
Ebor.
Rad. Chinæ ana ℥nc. ſ.
Sem. Card. bened.
Cort. Citri ana ℥nc.i.

macerentur per 24. horas in Aq. font tepidę lib. viij. Coquantur ad tertiæ partis conſumptionem, coctionis fini adde

Flor. Tiliæ arboris,
Lil. Conual. ana p.ij.

F. Collatura per manicam Hipp. *Doſ. ℥nc. ℥. vel ℥i.*

Hunc potum Quercetani Pharm. *p.* 103. *c.* 8. Omnibus Epilepticis cuiuſcumque temperamenti, & ætatis commodiſſimè exhiberi poſſe ſuadet.

Aquæ. Huic accedunt Aquæ, inter quas principâtum obtinere conantur Aquæ thermæ Nocerianæ, quæ omnibus ferè venenatis morbis ſuccurrunt corrigendo iecoris, & viſcerum calidiorem intemperiem, præpollente virtute ex terra ſigillata, ſmaragdina. His non cedunt aquæ Ceraſorum nigrorum, carbunculi, Hirundinum, &c.

Syrupi. Inter Syrupos recomendatur Syrupus regius Catholico roſatus, aureus, Syrupus Pœoniæ, Stœchados, Cinnamomi, &c.

Tinctura. Nihilominus Tincturæ ſuam etiam oſtentant efficaciam, vt Ellebori. Item Tinctura ex floribus Peoniæ.

Olea. Nec olea ſuas hunc affectum depopulandi vires abſcondere ſinunt: vt oleum Heurnij.

℞ *Ol. com. Therebinth.*
Laurini ana lib. i.
M.

Et cucurbitæ immittantur, lentoque igne deſtillentur, quæ prima emanat aqua inutilis eſt, reſtibili materiæ adde

Cinnamom.
Caryophil. ana vnc. i. ſ.
Euphorbij,
Galbani,
Ammoniaci,
Gum. hederæ,
Opopanacis,
Thuris albi,
Maſticis,
Baccar. laur. detract.
Cort. ana drach. iij.
Caſtorei,

Lign. Aloes,
Laudani,
Olei Spicæ, vel deſtill. ex Lauendul. ana drach. ij.
M.

ac digerantur, poſteà lapidem laterinum, in fabaceas partes confringes, & in primis vrito, donec excanduerint, ac oleo reſtinguito, ac paulatim acuto igne deſtillentur. Miras huius olei virtutes enarrat Heurnius *lib.* 1. *praxeos*, *pag.* 18. Cum hoc certat Oleum *Camphoræ*, quod ſpiritus quaſi coagulat, & ebullitionem ſanguinis ſiſtit: necnon oleum Scorpionum Matthioli. Vt:

℞ *Ol. Scorpion. Matthiol. compoſ. vnc. iv.*
e Cort. citr. deſtill. drach. ij.
Mitridati,
Theriacæ ana vnc. ſ.
M.

in ampulla benè clauſa Soli exponas, vel in hypocauſto ad aliquot dies agitando filtra, dein reddatur clarum per reſidentiam.

Iulapij.

Accurrunt quoque Iulapij: vt:

℞ *Aq. Pęon.*
Ceraſ. nigr. dulc.
Borrag. ana vnc. iij.
Syrup. Pęon.
Stœchad. ſimpl.
Tunicæ ana vnc. i. ſ.
Aq. Cinnamom. drach. iij.
M. pro tribus doſibus.

Sequitur Iulapium Bezoardicum, non minus in *Epilepſia* ab vtero dependente vtile; vt:

℞ Lapid. Bezoard. Orient. vnc. ſ.
Corall. rub. ppt. drach. ij.
Margarit. ppt.
Smaragd. ppt. ana drach. i.
irrigantur modico ſulphuris oleo, & adde
Succ. Limon. vnc. vi.
In phiala oblonga calore cinerum per tres, quatuorue dies elice tincturam, filtra per chartam: adde
Spirit. Roſar.
Lil. conuall. ana vnc. ſ.
Sacchar. q. ſ.
Deſpumando F. Iulap. aromatizetur.
Ambra,
Muſcho,
Aq. Flor. Aurant ana q. ſ.
M.
Fiat Iulap. Bezoardicum.

Pulueres. Et pulueres in profligandа Epilepſia ſuperbire volunt. Vt

℞ Rad. Pyrethri,
Ireos ana ſcrup. i.
Caſtor.
Helleb. alb. ana gr. ij.
Sem. Rutæ,
Nigele,
Fol. Maioran. ſicc. ana ſcrup. i.
Cubebar,
Piper. alb. ana ſcrup. ſ.
M. F. Puluis.
D. S.
De quo Puluere gr. j. aut ij. immittantur in nares patientis,

tis, vel ſacculo incluſa, & in aceto madefacta, naribus applicentur.

Aliam pulueris ſpeciem commendat Crato, quam Epilepſiæ Magnatem nominauit. *Puluis Cratonis.*

℞ *Cinnab. natiu. vnc ſ.*
Corall. rubr. ppt.
Margarit. ppt. ana ſcrup. ij.
Croci ſcrup. j.
Fol. Aur. N°. xij.
M. F. puluis.

Cuius gr. xij. vel xvj. dentur cum aliqua Aqua *Epilepſiæ* congrua.

Hoc in *Epilepſiæ* Theatro etiam *Pillulæ* aliquam Scenam deſiderant, quarum formulæ in paratu ſunt. Vt: *Pillulæ.*

℞ *Extract. Rhei,*
Aloes lucid.
Reſinæ Gialapp. ana gr. vj.
Salis ſuccin. vel volat. gr. iij.
Ol. Lauendul. gr. ij.
M. F. Pillul. N°. iv.

Deaurentur pro vna doſi. Vel

℞ *Cremor. Tart.*
Ocul. canc. ppt.
Salis ſuccin.
Diagrid. ana gr. vi.
M. F. Pill.

In vino, vel cereuiſia aſſumendus. Vel

℞ *Salis Prunell.*
Ammon. ana drach. ſ.
Ocul. canc. contuſ. crud. ſcrup. ij.

BIBLIOTECA VENETO

Ra-

Rasur. Cran. human. scrup. iv.
M. F. Pul.

Diuide hunc in 6. partes, ex quibus sumat bis de die, semel manè ieiuno stomacho, & Vesperi ante cœnam.

Nec prætereundæ sunt Confectiones, inter quas sese non vltimam offert Confectio Alkermes: Item Passulata Mynsichtij de Tamarindis, necnon Confectio anacardina, quas comitantur hæ formulæ, quæ ad paroxysmum instantem rectissimè respiciuntur.

℞ *Pill. Rad. Pæon. iust. tempore collect. drach* j.
Magist. Perlar.
Corall. rub. ana drach. i. s.
Cran. human. drach. s.
Sacch. opt. in Aq. Tiliæ dissoluendi q. s.
F. s. a. Confectio in Tabulis.

Nec obliuioni tradam *Potiones*, inter quas in paroxysmo hæc tutò, citò, & iucundè propinari potest.

℞ *Aq. Epilept. Langij drach. vj.*
Syrup. de Pæon. drach. ij.
Spiritus Vitriol. gutt. vi.
M.

Vomitoria. Vomitoria in hoc affectu tàm intra, quam extra paroxysmum suspecta sunt, ob virium iacturam, & corporis gracilitatem, si tamen à ventriculo foueatur morbus, & in paroxysmo Vomitoria adhiberi possunt, secus minimè. Vomitum autem penna oleo cum gran. iv. flor. Antimonij intincta, aut Sale Vitrioli scrup. j. excitare poterit.

Linimẽta, & Balsama. *Linimentorum*, & *Balsamorum* variæ etiam species desiderantur, vt Balsamum *Rutæ* subitò naribus illineatur, cuius *Rutæ* syluestris scilicet succum Valeriola *lib.* 3. *obser.*

obſer. 7. ſummis pro hoc affectu extollit laudibus, quæ cum Melle ſtillitico exhibitus, acceſſionẽ tàm adultis, quàm recens natis inhibuiſſe bona fide teſtatur Thiermaierus *lib.* 1. *obſer.* 1. *pag.* 16. Huius etiam memorabile exemplum commemorat Alexander Trallianus *lib.* 1. *cap.* 15. quod Ruſticum quendam contuſâ ſyluaticâ Rutâ, naribus immiſſâ ſibi ſubitò reſtituerit, & penitùs comitali morbo liberauerit, atteſtatur. Alias etiam Linimenta, vel Balſama recomendat magnus Sennertus:

℞ *Succ. Rutæ vnc. ij.*
Aq. Anti epileptic. vnc. ſ.
Caſtor. ſcrup ij.
Pill. rad. Pęon. ſcrup. i.
M & naribus immittatur.

Palatum Theriacâ antiquâ, Hierâ aureâ Alexandrina, aut Mithridato affricetur. Sedati paroxyſmi reditus poſteà varijs inhibeatur, vt puluere *Marchionis*, & puluere guttæ, qui *Theriaca.*

℞ *Rad. Pęon. & Sem.*
Dictam. alb.
Viſc. quern. ana drach. i.
Sem. Atriplicis ſcrup. i.
Cran. human. ppt. ſcrup. ij.
Corall. rubr. ppt.
Hyacinth. ppt. ana gr. xij.
Vngul. alcis ppt. drach. i.
Muſch. gr. v.
M. F. Puluis, doſ. gr. xv.

Quo puluere etiam pueri recens nati, ſi ante lactationem ſcrup. j. ſumant, toto vitæ curriculo Epilepſiâ immunes viuunt. Item etiam præſtant 1. 2. vel 3. gut-

tæ

tæ Auri potabilis ritè præparati, ante lactationem sumptæ.

Tanta tamque varia contra *Epilepsiam* decantantur remedia, vt Medicum quasi eorum copia inopem faciat; inter quæ ex Zoologia desumpta non adeò vulgaria, obuia, & inutilia æstimentur. Vt ex homine cranium crudum, vel præparatum, vel per se, vel cum alijs mixtum, Viro autem adhibeatur virile, Fœminæ fœmininum, item Coturnicum oua exsiccata, & pulueri-
zata ad drach. j. ſ. vel scrup. ij. pro remedio certissimo adhibita fuisse testatur Hoeferus *lib.* 1. *c.* 2. Carnem ipsam huius Auiculæ Auerroes *lib.* 3. *de Alimentis*, *cap.* 10. Optimi succi, & ad caliditatem temperaturæ conuenientis alimentum prædicat, quem tamen Psello Isaaco, & alij commendati Medicinæ Scriptores, tùm ad coctionem, tùm etiam ad generandum bonum succum non solùm inutilem damnant, sed *Epilepsiæ* fabrum asserunt. Vnde etiam Auicennas 2. *Canon.* 153. ab eius vsu abstinendum monet, eò quod Tetanum, & Spasmum inducat. Aliam tamen auiculam intellexisse, arbitratur Salernitanus *in Schol. cap.* 29. Vnde etiam Rhases *lib.* 3. *cap.* 10. *ad Almans.* Coturnicem laudabile esse alimentum iudicauit, eique post starnam secundum bonitatis locum tribuit, eius tamen frequentem vsum non suaserim, siquidem Helleboro, etsi quidem in aliquibus regionibus non multo vescantur. Sicuti etiam Plinius clarissimè insinuat *lib.* 10. *cap.* 23. *Coturnicibus veneni semen gratissimus cibus, quam ob causam eas damnauere mensæ*, hac tamen de causa nulla reprobatio exoritur, quòd *Coturnices* ad nostrum intentum, nempè *Epilepsiam* curandam non conueniant. Nemo

Coturnicum caro Epilepsiæ faber.

enim

enim ignorat Gallinas vesci araneis, Sturnos cicuta, Ceruos Serpentibus, quorum tamen carnis vsus nobis quotidie tutò proponitur ; at hoc maiorem probandi efficaciam haberet , quod Coturnices Epilepticum in se habere videantur characterismum, quia Helleboro, cuius proprium *Spasmum* inducere est, vescuntur. Herculeum tamen huius Argumenti robur, naturę prouidentia conuincitur. Animal ne ratione destitutum naturali instinctu sibi adeò nociua appetat ? Nonne hoc innatæ benignitati rerum naturæ contrarium esset ? Quare probabilius , imò certius Coturnices ita à natura edoctos *Helleboro*, tanquam contra *Epilepsiam* Alexipharmaco vesci credo , sicuti eum etiam ritè præparatum inter purgantia Antiepileptica numerant plurimi Authores, vt Dioscorides *lib.* 4. *cap.* 146. Cœlius Aur. Cornel. Cels. *lib.* 3. *cap.* 23. Quercet. *in Tetr. cap.* 17. & alij. Helidæus talem ex *Helleboro* format methodum.

Coturnices Helleboro tãquã contra Epilep. Alexipharmaco vescuntur.

℞ *Cort. Helleb. nigr. scrup. iv. vel etiam drach. iij.*
Sem. Dauci,
Cinnamom. ana scrup. j.

Præparationes Helleb.

incidantur, & infundantur *in Aqua Mellis*, vel *Sapa* per noctem, dein adde

Diasennæ ℥nc. ſ.
Confect. Hamech. drach. ij.
bened. laxat. drach. j. M.F. Potus.

Quo hausto per 15. dies propinabat sequentem Syrupum.

℞ *Pęon.*
Ruthæ,
Epithymi ana ℥nc. ij.
Pyrethri ℥nc. j.

Iuæ vnc. ſ.
Xylo-& Carpobalſami,
Caryophillat. ana vnc. ſ.
Cort. rad. Helleb. nig.
Fœnicul. ana drach. iij.
Cardomomi,
Zinzib.
Spicæ,
Turbith. ana drach. ij. ſ.
Roriſmarin. m. ij.
N. M. drach. j.

bulliant in ſ.q. Aquæ collaturæ, adde

Oxymell. ſquill. q. ſ.
F. ſ. a. Syrup. doſ. vnc. v.

& ſi fuerit in primis ſpiſſus adde

Aq. Pęon. q. ſ.

Sumpto Syrupo reiteretur ſupraſcripta purgatio, addita *Diaſenna ſolutiua*, vel his pillulis.

℞ *Pillul. Cochiar.*
Aggregatiu.
Cort. rad. Helleb. nigr. ana ſcrup. j.
M. cum Syrupo de Stœchad. F. Pillul. N°. v.

Poſt hæc Syrupus iterum continuandus per 10. dies, quo facto purgetur ſequenti.

℞ *Helleb. nigr. drach. ij.*
Cinnamom. ſcrup. j.

infunde per noctem in Aq. Pęon. & Syrup. de Stœchad. Manè facta expreſſione, adde

Syrupi deſcripti vnc. ij.

F. Potio danda in aurora.

Vltimo quotidiè ieiuno ſtomacho, & Veſperi cubitum

itu-

iturus ſumat drach. ſ. ſequentis Electuar.

℞ *Hyſiop. vel*
Pyrethri,
Rad. Pęon. ana vnc. j.
Oxymel. ſquil. q. ſ.
F. Electuar.

Aututatur hoc

℞ *Theriac.*
Mithridat. ana drach. j.
Conſeru. Pęon. vnc. ſ.
Rad. Pęon. pul. drach. ij.
Dialang.
Diacori ana drach. j. ſ.
Conſeru. Saluiæ,
Stęchados ana vnc. i.
M. F. Electuar.

Hac methodo Helidęum plurimos Epilepticos perſanaſſe atteſtatur Georgius Laubius Med. Auguſt. quod inſuper confirmat Hieronymus Velchius in manuſcriptis Hieronymi Reuſneri.

Cœterum cum ſuperius Cranij humani meminerimus, huius etiam efficacem præparandi modum hoc loco aſſignamus, quòd primò vel C.C. vſtum,& in puluere contuſum teratur ſupra marmor, & huic effundatur *Aq. Pocon. Fl. Tiliæ, aut Lil. Conual. Ceræſorum nigr. ana q. ſ.* & tamdiu teratur vſque iuſtam ſpiſſitudinem acquirat, vt in talneos ſ. a. ſcindi poſſit. Alia quamplurima medicamenta videbis apud Ioelem *praxeos pag.* 35. Schrœderum phar. *lib.* 4. *pag.* 21. & multos alios.

Diætheticum fontem, quod attinet, hic, de quo rerum non naturalium moderatus vſus haurire eſt, cibum *Diæta.*

concoctu facilem, ſucco bonum, & diſtributione celerem, excrementiſque non onuſtum ſuadet, qui inſuper moderatè ſiccandi, & calefaciendi vim habeat. Sit hic parum, aut nihil aromatizatus, Vinum ad annum, aut ad annum, & dimidium vitetur, Cœna ſit prandio breuior. Somnus ſit mediocris. Vitentur ea cane peius, & angue, quæ corpus replent, & humores agitant, vt ſunt craſſa edulia, dulcia, pinguia, lacticinia, Cepæ, Fabæ, Opium ſmirnium, iecur hirci aſſatum, carbonum vapores, quos quandoque Apoplexiam ipſam elicuiſſe teſtatur experientia, longus in gyrum motus capitiſque in demiſſione diuturna detentio, nimia Venus, ira, terror, &c.

PRO CORONIDE HVIVS TRACTATVS petes primò.

AN Sanguis humanus contra Epilepſiam adhiberi poſſit?

Reſponſionem experientiæ dandam tribuo, qua verificabitur, quod huius Potio non ſolùm rarò ſalutem contulerit, ſed quandoque malum in peius tranſmutauerit, quod clarè etiam confirmat Aretus Capedox *lib. 1. diuturnior. morbor. c.4.* Periculoſiſſimum inſuper hoc medicamenti genus arbitror, dum, quod hic ſanguis cum ingenti horrore aſſumatur, aut in ventriculo conglobetur, aut corrumpatur.

Reſp. itaque cum experientia, quòd nũquam ſuaſum ſit humanum ſanguinem propinare, niſi Medicorũ eruditio, ac prudentia ſubiecti, ex quo ſanguis effuſus hauriatur, ſanguinis temperaturæ bibentis malo aptatum

eſſe

esse censet, quod dum rarò contingit, raroque suadeatur.

Sanguinis autem præparati vires omittere iniuria esset, siquidem hæ, præter quam quòd Epilepsiam (vt experientia docet) radicitus exstirpent, ægrotorum vires refocillent, à Podagricis insultibus conseruent, eiusque dolores simul cum euanescente rubedine, & tumore sistant, Paralysin, Apoplexiam, pulmones exulceratos, Pleuresinque curent. Præparationes varias describit Schroderus *lib. 5. Pharm. Med. Chym. c. 12. pag. 275.* inter quas hæc facile prima.

℞ *Sanguinem Iuuenis sani, Mense Maij venasecta extractum suscipe cucurbita, vt solùm* ¼ *repleatur. Hinc clauso vase detineatur, in calore mediocri, vt sanguine intumescente tota cucurbita impleatur. Hinc fiat agitatio, primùmque exit aqua non magnæ æstimationis, nisi, quòd amplius elaborata, nonnullis ad extrahendum sal inseruiat: Reliquum pellatur in cineribus per retortam iunctis optimè clausis. Destillatum refundatur super feces, fiatque cohobatio vice nona, vt color subsequatur rubinus.*

Balsamum Antipodagricum, seu oleum S. H. alcalisatum docet tali modo.

℞ *S. H. adhuc calentis Mense* 1. *putrefac per nouem circiter dies, deinde destilla ex arena per gradus* 1. *lento igne hinc* 2. *fortiori per diem, & exibit ol. rubicundum, & fœtens, sale volatili ad spondilia colli adhærescente oleum rectifica per colchotar ex cucurbita igne cinerum aliquoties à recenti colchotare agitando: demum solue in correcto hoc oleo sal, & serua.*

In Podagra sex diebus continuis inunctum mirandas præstat vires. Similis energiæ multi esse volunt sanguinis *Ceruini*, *& Hircini* Balsamum, cui tamen ob ni-

miam

miam fortitudinem reliqua viſcera vt pulmones,cor,& hæpar addi volunt. *Item*

℞ *Spiritus S. H. dephlegmati, & ter rectificati, lib. ij. infuſi flor. Lauend. (in vino) lib. ij. M. & deſtilla per B. M. ad medietatem, idque repete tertia vice, dein adde ſpiritus Vin. rectific. & ſerua*, tàm pro curanda Epilepſia,quàm Apoplexia, & Aſmate.

Vltro petes, in quo differat *Epilepſia*,ab *Apoplexia*?

Reſpondeo cum Galeno *lib. 2. de Symptomat. cauſis*. Tantùm ſecundùm magìs, & minus.

Vltimò petas. Cur Aquæ frigidæ infuſio conuulſiones curet?

Reſpondeo. Calorem vi Aquæ concentratum materiam morbificam vincere. Vide Valleſium *lib. 4. Controuerſ. medic. cap. 4.*

COROLLARIA.

I. COnuulſionis ſubiecta ſunt ſolummodo membra voluntarij motus, hinc ſingultus non eſt conuulſio propria.

II. Conuulſio fit à triplici cauſa, repletione, inanitione, & mordacitate.

III. Pituita cœteris humoribus frequentius conuulſionem cauſat.

IV. Sanguis conuulſionem facit in partis inflammatione.

V. Paralyſis fit ab humore pituitoſo, & frigido, conuulſio verò ab eodem permixto, acri, & flatuoſo.

VI. Vnde Paralyſis ſine, conuulſio verò cum ſenſu.

VII. Paralyſeos in conuulſionem mutationis cauſa eſt, quòd reſolutis flatibus, & calidioribus humoribus, per dolorem frigidioribus attractis, tota nerui ſubſtantia, ſecundùm longitudinem molleſcat.

VIII. Conuulſio ab inanitione periculoſior, quàm à repletione.

IX. Facultas cum ſpiritibus in neruos non influit.

X. Cram-

X. Crampa, vulgò dicta, non est propriè Spasmus.

XI. In Epilepsia motus est amissus secundùm facultatem non influentem: deprauatos verò secundùm musculos. Hinc additur totius corporis conuulsio, & sensus, & motus potest esse abolitus, & simul esse conuulsio, & si in conuulsione sit tantùm deprauatus.

DE PARALYSI.

Caput Quintum.

EPilepsiæ *Paralysin*, tanquam eius filiam meritò postponendam censeo, sicuti testatur Galenus 4. *de ratione vict. in acut. comm.* 27. & cum illo obseruarunt Petrus Salius *obseru. in* 1. *Anat. cap.* 19. Iacobus à Patribus *obser.* 57. Thomas Erastus *par.* 4. *disp. contra Parac.* immò Paralysin, Vertiginem, Carum, Coma Vigil, & Somnolentum, Incubum, Lethargum, Opistrotonon, Emposthotonon, & Tetanon, neruosum genus infestandi coniurasse, neminem latet; adeò vt non aliò nisi gradibus differant: Versantur enim circa id obiectum, & resultant à causa generali simili. Nihilominus similibus medicamentorum Præsidijs (mutatis tamen mutandis) cedunt: ita vt is pauci iudicij sit, oportet, qui remedijs Apoplecticis hos morbos curare non possit. Constat insuper experientia, & testimonio Barbetti *praxeos lib.* 3. *cap.* 32. quòd hi affectus vnum subiectum simul, & semel obruerint. Cuius memoria dignam hanc obseruationem reliquit. *Mater D. Ioanni Vicent, Diaconi, & Mercatoris Amstelædamensis, dextrum brachium impotẽs mouere* inquit loc. cit. *periculosè decumbebat anno ætatis suæ quinquagesimo octauo, ergo erat paralytica, interdum dormiebat profundè, ergo laborabat Comate somnolento, caroue, interdum vigilabat, ergo tunc debuit eius*

mor-

morbus Coma vigil nominari, interdum ſtertebat, nullamque edebat vocem, quicquid vociferantur adſtantes, ergo erat Apoplectica; *febricitabat continuò, ſuperuenientibus Aphtis, ergo aderat* Lethargus. *Omnes hi morbi, quibus extincta, promiſcuè illam affligebant.* Horum morborum vt meliorem acquiramus notitiam cunctos ſigillatim perpendamus, ſit itaque *Paralyſis* hæc

DEFINITIO.

Paralyſis eſt motus muſculi cęterarumque partium, quandoque motus abolitio, nonnunquam cum ſenſus deperditione, dependens à ſpirituum animalium influxu prohibito.

Pars affecta. *Partem affectam* non obſcurè demonſtrat ipſa definitio.

Cauſa. *Cauſa immediata*, & proxima eſt prohibitus ſpirituum animalium influxus, quem prohibet aut partis mittentis, aut recipientis vitiata temperies, aut organizatio. Partis itaque mittentis Cerebri ſcilicet debet eſſe intemperies frigida, ac humida, aut calida, & ſicca, aut neruorum, per quos mittit, aut obſtructio, condenſatio, luxatio, aut diſſectio. Partis recipientis autem eſt intemperies frigida, & humida, non verò calida, & ſicca, quia hæc temperies ſpiritibus maximè familiaris eſt, & hinc eos non impedit, ſed amicè amplectitur; aliàs Hectici, quibus temperamentum ſimile eſt, maximè Paralytici euaderent, nec obſtat, quòd in Hypoſarca non fiant Paralytici, cum eius temperamentum ſit frigidum, & humidum, quia hæc ratio euincit, quod hæc intemperies non conſiſtat in neruoſo genere, ſed muſculoſa

ſculoſa interſtitie, per quam facultas motrix non influit.

Cauſæ remotiores ſunt omnes humores, modo calidi, modo frigidi, & quandoque peculiari quadam narcotica vi præditi. Plurimæ etiam aliæ cauſæ ex rebus naturalibus, non naturalibus, & præternaturalibus defumuntur. Ex naturalibus temperamentum Cerebri frigidum, & humidum, vel frigidum, & ſiccum, necnon ætas ſenilis. Ex non naturalibus, vt aer frigidus. Gal. *de loc. aff. cap.* 6. diuturnior mora in Aqua frigida, idem *de loc. aff. cap.* 4. Et Zacutus *lib.* 1. *prax. adm. obſer.* 37. Item victus, & potus inordinatus, ira, terror, Mercurij vapor, & multa alia, de quibus in præcedenti capite de Epilepſiæ cauſis tractauimus. Ex præternaturalibus vulnus ſpinæ dorſi, vel capitis, Vermes quandoque teſte Salmuth. *obſer.* 44. contumax dolor colicus aliquando aduertente Riuerio *lib.* 5. *prax obſer.* 38. *Paralyſi* terminatur. Item etiam Scorbutum Paralyſeos Authorem eſſe poſſe Augalenus cum alijs optimæ notæ Medicis notauerat. Hieronymus Velchius *obſeru. Med. Epiſgaſmate* 85. Ex inconſiderata ſcabiei cura *Paralyſin* prouenisſe. *Cauſæ remotiores.*

Differentia conſtat ex eo, quando plures, vel pauciores partes inuadit. Quando omnes neruos tàm mouendi, quàm ſentiendi vi priuat, *Paralyſis* non eſt, ſed *Apopleſia*, teſte Gal. 3. *de loc. aff. cap.* 10. *Differentia.*

Paralyſeos Diagnoſis ob eius eſſentiam, & Symptomata vulgò etiam nota eſt, quare huius deſcriptionem omittens ad *Prognoſin* deuenio, & *Diagnoſis.*

Dico *Paralyſin* eſſe morbum periculoſiſſimum, qui etiam omnium Medicorum Principi Chriſto in Euangelio curanda proponebatur. Membrum enim, *Para-* *Prognoſis.*

lyticum, quod extenuatur, & *atrophia* contabescit, natiuumque calorem perdidit sanabile non est, teste Auicenna, quippè cum animali, vitalem, & naturalem facultatem amisisse indicium est. Sic etiam id, quod ob præscissum neruum motu priuatur, irrecuperabile existit. Licet quidem quòd *Paralysis* vires suas patientes iugulando, acutorum solitò non exerat, tamen saucius morì esse duco, quantam miseras traducere vitæ dies, siquidem, quando eos, qui per omnia membra resoluti sunt non citò morti contribuit, longus coadit morbus, & sæpissimè mors diu speratæ salutis miseras agit vices. Hæc si partem vnam, aut alteram solùm occupat, nunquam acuta, sed semper longa erit, minus autem periculum elucet, quando motus illæso sensu læditur, è contra maius se prodit periculum, quando motus simul, & sensus læduntur. Insuper facilior admittitur Cura, quando affectus ex partis recipientis intemperie resultat, prius si à mandante, & recipiente.

Cœterum *Paralysis* à luxatione, angustia, densitate, & constipatione Curationem non omninò recusat, à vehementi autem contusione, & neruorum attritione desperationi magis, quàm spei innititur, sicuti etiam ea, quam musculorum temporum inflammatio excitat, quia ob viciniam inflammatio Cerebro communicatur, vnde etiam alij coniurati Cerebri hostes, vt Lethargus, Apoplexia, &c. subsequi solent. Possunt quidem non rarò desperationi proximi huiusmodi affectus salutis compotes euadere, superueniente aliqua febre valida, teste Galen. *porrhet. Aphor.* 50. quippè calor febrilis materiam peccantem absumendo, neruos refrigeratos calefacit, & humectatos exsiccat, quod sæpius

etiam

etiam superueniente Diarrhæa contigisse scribit Rhases 1. *contin.* Marcellus Donatus tamen eum non de valida, & veterata, sed debili, & recenti sermonem fecisse tradit *in hist. Med. mir. lib. 2 cap. 5.*

Magna hæc posita periculorum series suas indicationes expostulat, vt spiritus animalis, parti resolutæ restituatur, partis mandantis, aut recipientis intemperiem temperando, aut vitiatam organizationem corrigendo, si obstructione impeditus fuerit, tollendo causam deobstruentibus, si Cacochymia purgantibus, & humores causam fouentes, alterantibus. Hac in parte Galen. *lib. de loc. aff. cap. 6.* summopere notandum hoc monet, vt non subitò partem affectam sic externè apparentem respiciamus, sed de rebus externis sollicitè indagamus, quod clarè exemplo Pausoniæ Syri Sophystæ cum ex curru lapsus dorsum læsit, vnde trium digitorum manus sinistræ motum amiserat, demonstrauit, quem ipse Galen. non primò digitis remedia, sed spinæ dorsi applicando motui restituit. Magna igitur hac in cura anatomis cognitio requiritur. *Indicationes.*

Causarum implicata varietas Curationem æquè variat, eam itaque quantùm vires concedunt, secundùm causas inuestigare conabor. A sola *frigiditate* orta, *frictione* curari potest, aut *vnguento Laurino, Liliaceo, Costino, Rutaceo.* Item *vnguento ex Euphorbio, Castoreo, Mirrha, Iuniperis, &c.* Quibus superueniat *Styrax, medulla Ceruina, pinguedo Taßi, Leonis, vel Vrsi, balnea calida, victus calefaciens.* Si à sola caliditate, & siccitate oppositorum erit ratio, & ideò conuenient humectantia, & refrigerantia, vt Balnea dulcia, Ptysana, Cichor. Lactuca, & similes refrigerantes species, nec *Curatio.* *Curatio à frigiditate.* *Curatio à caliditate.*

omittatur fricatio, qua Petrus Salius *in not. in Altimarum lib. 2. cap. 4.* Tonsorem à crapula quadam in *Paralysin* lapsum sanasse testatur.

Curatio ab humoribus.

Cùm autem ab humoribus originem trahit, præscripta Olea, & Herbæ emollientes summopere vitandæ sunt, dum partes resolutas magis laxant, & resoluunt, sed pro internis omnes Medicinæ fontes aperiendi. Adhibeatur primò Clyster Phlegmagogus, sit hic tamen leuis, ne de illo humores magis agitati neruos decumbant: qui talis esse potest.

℞ *Herb. Betæ,*
Brassicæ,
Rutæ,
Cent. minor.
Mercurialis,
Chamæpytheos ana m. j.
Baccar. Lauri,
Iuniperi ana m. ſ.
Sem. Anisi,
Fœnicul.
Cumin. ana drach. j.
Flor. Chamomill.
Stœchados,
Anethi ana p. j.
F. Decoct. ad lib. j. in collatura dissolue
Hier. picræ,
Bened. laxatiu. ana drach. iij.
Mellis anthosat. vnc. ij.
Terebinch.
Vitell. Ou. subactæ drach. ſ.
M. F. Clisma.

Hoc

Hoc in corpore Plethorico Venæ ſectio quantitate ægri viribus conueniens ſubſequatur, minimè tamen ex parte affecta, ne ei noua addatur afflictio. Vomitum ob periculum ne materia ad partem affectam trahatur: ſiquidem lingua hoc in affectu præcipuè laborat (pace tamen Pauli Ætij) non ſuaſum duxerim.

Poſt hæc ad Methodica deueniendo Lenientibus incipiamus, quorum officium non incongruè peragent ſequentes Pillulæ.

℞ *Extract. Pillul. de Hiera,*
Aßairet.
De Agaric.
Aleophanginarum ana ſcrup. ſ.
c.ſ.q. Syrup. de Betonic. F. Pillul. N°. viij. pro vna doſi.

Expurgatis dein primis vijs, humorum præparatio ſollicitè craſſitiem eorum incidendo, & attenuando, inſtituenda erit huiuſmodi Syrupis.

℞ *Syrup. Bizant.*
De Stœchad.
Hyſſop. ana drach. ij.
Aq. Betonic.
Saluiæ,
Iuæ arthetic. ana ℥ vnc. j.
M.F. Potio aurora ſumendà.

Hic loci etiam non ſunt ſpernendæ *Pillulæ Phlegmagogæ* Quercetani de Abſynthio.

Præparatis hiſce, vel ſimilibus humorum vitijs vniuerſalis purgatio celebretur. Vt

℞ *Extract. Agaric.*
Pillul. foetidar. ana ſcrup. i.
Caſtorei gr. i-℥.

Tro-

Trochiſ. alhandal. gr. ij.
M.F.Pillul.N°.vij.
c. ſ. q. mellis anthoſati.

Notatà manifeſtà mali contumacià hæc purgatio bis in ſeptimana adhibeatur.

De vniuerſalibus poſteà proceſſus fiat ad particularia, & caput, quod huius morbi ſemper caput eſt, pituitoſis humoribus exoneretur. Vt

℞ *Rad. Pyrethri drach. ij.*
Cubebar. ſcrup. j.
Sem. Staphidis agr. drach. ſ.

præparentur, & ſ. q. Mellis anthroſati excipiantur.
F. l. a. Trochiſci ſublinguales.

Naribus etiam attrahendam dentur aquæ Maioranę, Saluiæ, & earum decocta. Exſiccantia non ſine fructu peraget decoctum Hydroticum, quod corpus ipſum à ſuperflua humiditate liberare ſtudet. Vt

℞ *Baccar. Iuniper. ℥nc. iij.*
Hermodactil. drach. ℥j.
Liquiritiæ drach. ℥.
Ligni Sanct. in tal. ſciſſi lib. ſ.
Rad. Lapp. maior. ℥nc. j.
Salſeparill. ℥nc. xj.
Cort. eiuſdem ℥nc. j-℥.

M. F. Decoctum in lib. xvj. Aquæ communis ad medietatis conſumptionem.

℞ *Decolatura ℥nc. ℥.*
Mellis anthoſati ℥nc. j.

Propinetur mane ad ſudorem eliciendum.
Vires poſteà reficiantur tali, vel ſimili Electuario.

℞ *Conſerv. Anthoſ.*

Flor. Paralis.
Saluiæ,
Cort. Citri,
Rad. Enulæ condit. ana vnc. j.

M. c. f. q. Syrup. condit. Cort. Citr. & fiat mixtura.

Cui adde

Spiritus Vitriol. q. f.

M. F. Electuarium.

De quo sæpè castaneæ magnitudo sumatur. Aduertendum est, vt vocatus Medicus materiam peccantem iam iam confirmatam sibi sedem collocasse, conspiciens, hisce prius leuioribus attenuando, præparando, incidendo,& posteà etiam euacuando vtatur. Quando autem principium morbi, materiaque adhuc in motu existere annotabit, fortiora purgantia adhibeat, antequam sese materia peccãs neruis penitus insinuet; quòd summopere etiam suasum voluit Rhazes, vt pillulis fœtidis, alijsque vehementioribus. Aliud enim est tempus electionis, aliud necessitatis. Peracta demum purgatione, membris ipsis resolutis calefacientia, pituitam discutientia, neruos exsiccantia,& corroborantia applicentur, vt: Thermæ sulphureæ, Decocta, seu Vomenta ex radicibus Cyperi, Pyrethri, Ireos, Enulæ, Galangæ, Saluia, Maiorana, Betonica, Origano, Pulegia, Iua arthetica, Thym. Hyssopo inungantur. Post hæc neruorum principium oleis supra in curatione Paralysis à causa frigida sola annotatis. Posito autem, quòd mali pertinacia hisce remedijs non cederet, tunc ad balnea composita accurrendum, vt ex Lauri folijs, Rorismarin, Calaminthæ, seminibus quatuor calidis maioribus, Serpill. Origan. Puleg. Hyperic. Floribus Chamamil.

Thym.

Thym. Betonic. Stœchad. quæ omnia in Aqua, ad tertiæ partis consumptionem concoquenda sunt, quæ inde aqua callens in vas fusa ægro ieiuno supponatur, ita vt benè tectus non aquam, sed vaporem solùm pertingat, tamdiu permaneat, vsque corpus incaluerit, & sudauerit, reficiatur posteà Theriaca, vel Mythridato, Confectione Anacardina drach. s. vel scrup. ij. Post hæc si necessitas exposcerit, ad Balnea naturalia calida, & sulphurea refugiendum est, quibus tàm siccandi, quàm roborandi magna vis est; Fœlicem etiam effectum promittunt Vinacia putrescenria; si in ea membra Paralytica vsque ad copiosum sudorem imponantur, calor posteà natiuus, sanguis cum spiritibus ad partes eisdem depauperatas, reseratis meatibus, *Tropacibus*, & *Synapismis* reuocentur, & præsente *atrophia* post factam frictionem, cucurbitulæ applicentur.

CVRATIO PARALYSIS EX HVMORE tenui, bilioso, & lymphatico.

HIc non multis verbis vtar, dum prædixeram *Paralysin*, medicamentis Apoplecticis (mutatis mutandis) curandam esse; attamen cum cura hæc à materia *tenui* necessariò differat à materia *crassa*: Hæc sola notanda esse præcipuè censeo, quod in Colica Paralysi ante omnia intestinorum intemperies sedanda sit, ideò ex eis vitiosi humores expellendi: quod non commodius, quàm Clystere ter, vel etiam quater interposita conuenienti requie reiterato peragitur. Hic autem non sit calidus, & siccus vti communiter in Colica ex pituita, & flatibus præparari solet, sed humectans, mo-

moderatè refrigerans, & abſtergens, & ob ſegniorem ad inferiora motum irritantibus confectus, vt ex Malua, Parietaria, Branca Vrſina, Violaria, Mercuriali, Lacte Caprino, quibus addatur Caſſia, Extracta ex oleo Violaceo, & Roſaceo, cum adipe anſerino, & Vitellis ὠuorum. Item ex Cremore Ptyſanæ cum oleo Chamæmoli, cui ad maiorem abſtergendi, & expellendi vim addi poteſt aliquid Hieræ ſimplicis, vel Mellis Violarum, aut Roſarum, aut etiam Nitri parum.

Iniectum ſimile Clyſma apparente plethora ex parte ſana Venæ ſectio ſequi poteſt, de hac etiam ad Pharmaca, & Purgantia deueniendum, vt Syrupum ſolutiuum Roſatum, Violatum ſolutiuum, Manna, & ſimilia. His in caſſum applicatis fortiora arripe.

Victus inſtituatur tenuioribus calidis, & ſiccis, carnes ſint magis aſſæ, quam elixæ, condantur Cinnamomo, Carophyllis, N. Muſchata, Maci, & ſimilibus ſpeciebus. Eligantur Columbi, Turtures, Cerebrum Leporis, & ea, quæ pituitam non generant, Pineæ nuces, Amygdalas, Piſtaccas non reformida. Panis aliqualiter ſit ſalſus, ſemine Carui, Aniſi, Fœniculi, Melanthij conditus. *Diæta.*

Condimenti loco apponi poteſt, Sal Theriacalis, itẽ Viperarum, Cappares, Saluia, Iuniperi, quorum aqua deſtillata, Baccarum ſcilicet, plurimum ad præſeruationem conducit, cuius formam præſcripſit Heurnius *in Methodo ad praxin pag.* 88. Abſtineatur quantùm poteſt à piſcibus, carnibus aquatilibus, cibis omnibus frigidis, & humidis, lacticinijs, & fructibus horrarijs. Fames ſi tolleratur, ſalutis fomes eſſe poteſt, cœna aliquoties etiam intermittatur. Potus ſit decoctum Saſſafr. vel aliquod Oxymel, cum folijs Saluiæ, Maioranæ,

Roriſmarini, & mox ſupraſcriptis ſpeciebus. Vel potus vulgò dictus Hippocras. Si ſit cereuiſia ſit hæc Hyſſopo, & Saluia condita. Aquæ frigidæ, quæ neruis inimicæ ſunt, interdicantur, nil minus vinum vſque ad morbi declinationem, & ventriculi reparato robore abſtinendum. Aer arte, ſuffitu, & igne fiat calidus, corpus pellibus Vulpinis, aut Felinis tegatur. Cibum non ſubitò ſequatur ſomnus, Veneriſque dapes recuſentur. Corpus ſæpius fricetur, aluuſque aperta retineatur.

Obiectiones. Obijcies 1. Bilis, & ſuccus melancholicus non poſſunt eſſe cauſæ Paralyſis. Ergo malè eorum cura aſſignatur.

Probatur antecedens. Spirituum animalium in neruos influxus, intemperie humida impeditur, & ſicca amplectitur, ſed Bilis, & Melancholia ſunt ſiccæ, ergo ſpirituum animalium influxum non impediunt, ſed amplectuntur.

Reſpondeo negando antecedens, ad Probationis maiorem dico. Animalis ſpiritus in neruos influxum multifariè impediri poſſe humectando ſcilicet, irritando, ſpiritus occulta vi ſopiẽdo, & externo pondere quodam neruos opprimendo. Sed Bilis, & Melancholia ſunt ſiccæ, concedo minorem, ergo ſpirituum animalium influxum non impediunt. Diſtinguo conſequentiam. Non impediunt humectando, concedo con. Non impediunt irritando, vel alio recenſito modo, Nego conſequentiam.

Obijcies 2. Sudorifera in Paralyſi cauſam morbi fouent. Ergo non fuiſſent præſcribenda, & eorum loco vrinam cientia recomendanda.

Probatur antecedens. Eductis per ſudorem tenuioribus

ribus crassa magis incalescunt, & crassiora redduntur, quo magis obstruunt, & exitum recusant, ergo, &c.

Respondeo negando antecedens, ad probationem dico, concedendo vrinam cientia, magis conuenire cum causa morbi in visceribus, venis, & hypochondrijs habitat, & sudorifera prædicta præstare; At in hoc affectu nego, dum causa circa neruos hæreat, de quibus ad vrinam nullæ viæ patent, & per ambitum facilior euacuatio apparet. Potuissem etiam absolutè negare, nam quis sudoriferorum vsu materiam incalescere metuat, cum sit frigida, & calefactione indigeat, & dein, quis sudoriferis attenuandi vim denegabit?

COROLLARIA.

I. AD vniuersalem corporis conuulsionem refertur *Tetanos*, ad vnius partis *Spasmus Cynicus*, ad oculorum musculos, *Strabismus* ad tàm anteriores, quàm posteriores motum tonicum seruantes, musculos versus anteriora, caput mouentes, illudque illuc trahentes, *Emprosthotanos* ad musculos erigentes, & extendentes caput, *Opisthotanos*.

II. Spasmus confirmatus est incurabilis.

DE VERTIGINE.

Caput Sextum.

VErtiginem, Scotoma, vel Græcis *Dinos* Veteres paruam Epilepsiam nominarunt, eò quod ijsdem ferè causis animalis facultatis castra solùm in aliqua superficie infestat, quæ Epilepsia conuulsiuis motibus penitus occupat. Quare *in libro Medicorum, cap. de humoribus* facilior Vertigini attribuitur cura. Cuius hæc

DEFINITIO.

VErtigo est facultatis animalis deprauata actio cum læsione visus,& motus totius corporis à spirituum animalium perturbatione dependens.

Pars affecta. *Pars affecta* est Cerebrum, & præcipuè pars eius anterior, tanquam sensuum externorum organis propinquior.

Causa. *Causa efficiens*, vt ex definitione patet, est spiritus animalis perturbatio, quæ euenit à vaporibus, vel in ipso Cerebro intemperato, ortis, vel ab inferioribus partibus, ventriculo, liene, vtero, &c. transmissis, quòd in febribus ardentibus, lue Venerea, Scorbuto,& affectibus hypochondriacis fieri amat.

Mediatam causam agit Aer Austrinus, eiusque alia subita mutatio, cibi, & potus vaporosi, flatulentique vt Allium, Synapi, legumina,&c. item Balnea sulphurea, subitaneus post cibum motus, obiectorum in gyrum motorum propensior aspectus, vel corporis ipsi, animique gyratio, nimius ab altis prospectus, diuturnior sub Sole mora, consueta excrementorum oppressio, fames, temporum percussio, ictus, vigiliæ nimiæ, ebrietas, &c.

Differentia. Inter Vertiginem per idiopathiam, vel sympathiam ortam, præcipua existit differentia. Accidit insuper quandoque, quòd in Vertigine circumgyrationis species, nunc sine, nunc cum oculorum obtenebratione obijciantur, & quādoque Scotomatici huius mali vires adaugeātur, vt spiritus animalis in organa sibi dedicata, influxum impediendo patientes motu voluntario pri-

uent,

uent,& in gyrum actos prosternãt. Dein differt hoc malum tàm inter se, quàm cum alijs huiusmodi facultatis animalis symptomatibus solummodò secundũ gradus.

Dum Vertiginis signa ex petita patientis responsione patent, non multa examinatione opus habent, igitur his relictis, causarum signa inuestigamus.

Signa igitur Vertiginis Idiopathicæ sunt, capitis dolor,& grauitas, aurium tinnitus, & somnolentia. Sympatheticam autem demonstrant, præcedens morsus oris ventriculi, nausea, dolor cordis mordens, secundùm Galen. *de loc. affect. cap.* 8. Fames, febrium ardentium, luis Venereæ, Scorbuti, affectuumque hypochondriacorum crysis, venarum iugularium, & arteriæ carotidis turgescentia, & si quidem ex his recensitis quædam Patognomonica non sint, inter Epigenomena tamen numeranda esse iure censeo.

Prognosis.

Vertiginem ob partis, quam obsidet dignitatem periculo non carere neminem latet, idiopathica tamen sympathetica periculosior est. Maius etiam periculum euidens, & calida causa, capitisque, totiusque corporis in gyrum agitatio denotat, quam causa obscura, & frigida obiectorumque externorum circumrotatio. Ea, quæ patientes prosternit, Apoplexiæ non longinquæ prænuncia est.

Indicationes.

A causis Indicationes hauriendæ sunt, spiritus scilicet perturbatio sedanda, intemperies frigida calefacientibus, calida refrigerantibus, si ab obstructione, deobstruentibus, si à materia crassa, attenuantibus, à tenui, obstruentibus, à vaporibus, aut flatibus ex partium inferiarum situ transmissis reuellentibus, transmittendis intercipientibus, & deriuantibus.

Dum

Curatio. Dum Curatio, cum remedijs prædictorum, & sequentibus Cerebri symptomatibus circa aliud non differt, quam circa id, quò differt ab hisce symptomatibus, quare suppositis generalibus auxilijs secundùm differentiam specificam adhiberi possunt, inter quæ principatum tenent, Aqua sanitatis Hartmanni, Conseru. Flor. Calendul. Balsamus Sanguinis humani: item Stercus Pauonis in s.q. contusum, cui quando aqua Epileptica lib. s. affundatur, agitetur, & cum expressione forti coletur, dulcificatum postea c. s. q. Syrupi Flor. Pœoniæ, ad 3. doses exhibeatur: mirabilia præstabit.

Diæta. *Diæta* prædictis non absimilis seruetur. Hippocrates *aphor.* 17. Ventos, radios Solis, ac Lunæ, aerem crassum, nebulosumque summè fugiendum suadet. Locus tempore paroxysmi sit obscurus, cibus non sit vaporosus, & difficilis coctionis, eiusque varietas, & abundantia vitetur. Vinum, si non ventriculi debilitas in pauca quantitate expostulat, interdicetur. Cibum subsequantur ventriculum ferentia, vt vaporum ascensus prohibeatur, vt Coriand. N. Musch. Cydoni: condit. vel Diacidon.

COROLLARIA.

I. A Bangustia (non tamen totali) meatuum Cerebri etiam fit Vertigo.

II. Lepidè intemperiem calidam pro sola Vertiginis causa, aliqui statuunt, & lepidius id exemplo aquæ feruentis, à calore in gyrum actæ probant.

III. Theophrastus falsò ab exalto in profundum prospectu excitatæ Vertiginis causam spirituum externorum titubationem, & dissipationem statuit.

IV. Probabilius à multis asseritur, quod ex ista periculosa aspectione spiritus diffundantur, & moueantur, & ex terrore rursus retrahantur, eoque oriatur Vertigo.

DE

DE APOPLEXIA.
Caput Septimum.

SIcut Diui Hieronymi aures vltimi iudicij prænuncians tubæ sonus continuò tinniebat, sic Medicorum aures diuinitus inflatæ Hippocratis tubæ perenniter pulsent, quæ tales voces *aphor.* 1. exererat : *Occasio præceps*. Ita vt Medicus Hieronymi ad instar, non quidem vt iudicandus sicut ille, sed pro dirimenda naturæ cum morbo lite Iudicem ipsum semper paratissimum sese inueniat, cuius necessitatem hoc sequens caput demonstrat, in quo de atroci, dira, & præcipiti iugulatrice *Apoplexia* tractatur, siquidem dum illa Iouis fulminis celeritate æmulas agit furias, locus certè non est, de patiente domum repetere Auctorum volumina peruoluere, eorumque scripta consulere, sed tàm accurata Medici scientia requiritur, vt subitò post cognitam causarum implicationem remedia secundùm commune præceptum, citò, tutò, & iucundè conferre possit : ita vt sicuti occasio, & sequens casus præceps est, Medica nil minus scientia præceps sit. His apud viros bonos, medendique peritos ante hæc inconsulto *fuisse* suppositis, prolixitatis terminos non transgrediar, & malum hoc acutissimum depingere aggrediar, cuius hæc

DEFINITIO.

APoplexia, prout *morbus* est, est obstructio neruorum fontis spiritus animalis in neruos influxus impediens, à materia crassa dependens. Prout est *Symptoma*,

ptoma, est totius corporis sensus, & motus insignis abolitio, modo cum leui, modo cum magna respirationis læsione.

Differentia. Alia est fortis, alia leuis, idiopathica, sympathetica, nota, & ignota.

Pars affecta. *Pars affecta* est Cerebrum cum toto neruoso, quandoque venoso, & arterioso genere.

Causa. *Causa efficiens* est communis morborum parens, obstructio, quæ præcipuè oritur à lympha crassa, etiam pituita viscida, humore melancholico, & sanguine copioso, crasso, concreto, & grumoroso, omnibusque humoribus, quæ crassitie, & visciditate sua Cerebri ventres implẽt, aut arterias Retis mirabilis Galeni, necnon Carotides, per quos spiritus vitalis à corde transmittitur subitanea vi coarctant, & obstruunt. Quos humores vel ipsa Cerebri, vel inferiorum viscerum intemperies, aut in coquendo, distribuendo, & conglutinando sic prauos emollitur. Malè à quibusdam hic morbus *senilis*, & Epilepsia *puerilis* vocabatur, dum vterque omni temporis, & ætatis articulo in nos tyrannizare potest. Videmus enim pueros, consistentis ætatis viros, & senes eo corripi, sed cum ætate, & causa sese mutat, senibus pituita, iuuenibus sanguis, consistenti ætati humor melancholicus, quare Hippocrates *aphor.* 57. Apoplexiam maximè fieri à quadragesimo anno ad sexagesimum, quia huic ætati est succus melancholicus maximè familiaris, nihilominus omni ætati similis causa esse potest, propter victus inordinatam rationem, cui tàm senes, quàm iuuenes obnoxij sunt, vt crapulis nimijs, Venere nimia, aere humido, & frigido, aut propter causam externo euenientem, vt lapsu ex sublimi,

mi, temporum percuſſione, Cerebri vulnere, hæmorhagiæ conſuetæ ſuppreſſione, ſanguinis nimio ex vulneribus effluio, &c. *Leuis* autem Apoplexia à leui cauſarum robore etiam cauſatur, vt ab exhalationibus venenatis metallorum, Arſenici, Mercurij, &c. necnon carbonum vaporibus, quare Paracelſus, & Helmontius huiuſmodi cauſas accuſant etiam Apoplexiæ fortis.

Diagnoſis.

Apoplexiam fortiſſimam denotat ſubitaneus interam lapſus; cum horrendo quandoque eiulatu, ad ſenſũ ablata cũ ſtertore reſpiratio, pulſus tamen fortis, & plenus, membra mortuorum inſtar decidentia, ani, & veſicæ ſphincteris reſolutio. Minorem Apoplexiæ, ex inordinata intermittente, & minimam ex ordinata intermittente reſpiratione cognoſces vehementiam.

Prognoſis.

Funeſti huius morbi Prognoſis tàm à Medicorum Principe *aphor.* 42. dum inquit: *Apoplexiam fortem ſoluere impoſſibile, leuem verò difficile*, tàm etiam à ſepulchris eò refertis, non aliter niſi funebris exclamari poteſt, eò quod eius furiæ in naturam ita depachentur, vt eam à ſtatu conueniente tàm longè propellãt, vt reuocari niſi difficillimè poſſit. Aliqua ſupereſſet ſpes, ſi in hoc peruerſo microcoſmi motu aliqua ſaltem principalior pars illæſa euaderet, ſed omnes vno ictu ſimul percuſſæ iacent. Stertor inde, qui illum comitatur, quid aliud eſt, niſi mortis propinquiſſimæ prodromus? Quid aliud oris ſpuma? Quæ pulmonum humiditatem, quæ cordi euentilationem, & fuliginum ſuperfluarum expulſionem, ſuppeditare deberet, exſiccari denotat? Niſi manifeſtè, quod talis ſpuma ab humore pituitoſo, quæ tunc copioſior eſt, conſpiciatur generari. Quibus demum

demum ex difficultate reſpirationis ſudor ſuperuenit, quid aliud, niſi funebrè conſpiciendum? Hæc enim ἐφίδρωσις caloris innati oppreſſionem ſignificat. Nunquam tamen deſperandum eſt, dum Naturæ, aut Medicinæ vires adhuc valore quodam pollent, dum febris acuta, quæ materiam morbificam calore febrili diſcutere valeat, facilè ſuperuenire poſſit, aut medicamentorum efficacia, ſi non omninò eam annihilare, ſaltem in leuius malum, vt in Paralyſin, & ſimilia huius generis ſymptomata conuertere valeat. Hac ſpe aliti animosè curam aggrediamur: Maiorem enim cum maiori hoſte pugnam, maior quoque victoria ſequitur.

Curatio. In Therapia ſtatim circa primum fontem maximum oritur dubium, an ſcilicet vena ſecanda ſit necne? Quod commune illud Medicorum adagium, & nil minus cum eo experientia mouet, aut V. S. *Apoplecticos ſeruat, aut citò perimit*, vnde Celſus: *Si à venæ ſectione non redeat Apoplecticis ſenſus, motus, mens, reſpiratioque liberior, deſperatum eſt.* Quarè antequàm hęc celebretur, cauſa, cur modo interficiat, & modo liberet examinanda eſt: Quæ alia eſſe non poteſt, quàm quòd in Apoplexia à ſanguine orta ſeruet, à frigidis autem humoribus cauſam morbi fouendo interimat. Anceps igitur hoc remedium, antequam morbi cauſa pateret, nunquam ſuaſerim; etiamſi Medicorum ſchola dicat, *Præſtat anceps experiri remedium, quàm nullum.* Siquidem in Apoplexia manifeſta ſigna, an morbus à ſanguine, an verò ab humore frigido originem traxerit, Medicum doceant. Nunquid ſpuma copioſior oris, corpus pingue, facies pallida, humores frigidos, & hinc etiam corpus gracile, facies rubicunda, quæ quandoque immutata per-

permanet, & quandoque rubicundior euadit caliditatem denotat?

Cognita igitur frigiditatis causa venæ sectionem omninò damnandam, caliditatis verò, & sanguinis præ cæteris elegantissimum remedium esse arbitror, quòd experientia cum maximis medicinę luminibus attestatur. Cùm itaque Apoplexiæ causa varia sit, & curatio similiter varia instituì debet. Quapropter curationi ab humore frigido initium damus. Hoc præsuppositò, quod malum hoc, & si vndecunque causam suam emerit, sequentibus hisce remedijs curari debeat: vt Clysteribus, vesicantibus, reuellentibus, purgantibus, frictionibus, discutientibus, sternutatorijs, &c.

Curatio à frigidis humoribus

Curatio itaque à frigidis humoribus sit hæc: Primò in paroxysmo partium extremarum, & potissimum volæ pedum, & manus moderatè fricentur, nares conuenienti Balsamo, vt Rutæ, vel alio, tempora, nucha, & medulla spinalis, oleis destillatis inungantur, cruribus cucurbitulæ, collo, peduum suris, manuum carpis, vel etiam musculis deltoidibus, superiori capitis derasi parti vesicatoria, vel synapismi, & retro aures hirundines applicentur, à quo initiatur acris clyster, qui talis esse potest.

℞ *Speer. Decoct. emollient. pro clyster. ℥vnc. iij.*
Pulu. Colocynthid.
Verethri alb. ana ℥vnc. ſ.
Rad. Ciclamin.
Aristoloch. rotund. ana drach. ij.
F. decoct. ad lib. j.
in colatura dissolue
Ol. ℥vnc. j. ſ.

Therebinthin. drach.iij.
Electuar. lenitiu.
de hier.picr.Gal.ana ℥unc.ſ.
Salis communis ſcrup.iv.
M. F. Clyſter.

qui pro neceſſitatis ratione ter inijci poteſt.

Quo facto ſequaris Galeni præcepta, & antequam purges viſcoſos, tenaces, & craſſos hos humores attenuando, corpus fluidum reddas, non quidem humidis, ſed ſiccis medicamentis, vt pulueribus, pillulis, electuarijs, & rotulis. Pillulas efformes ex Agarico, Aleophangina, Cochia, Hiera ſimpl. benedicta laxatiua, Diaphœnic. maior. Electuar. lenitiu. Picra ſimpl. Galen. Hier. Argigenis, Colocynthidis. Aſpice pillularum talem formam.

℞ *Maſſæ pil. Aloephangin.*
Maſtichin.
de Hier. ſimpl. ana drach.j.
Trochiſc. alhand. gr.iv.
F. l. a. Pillul. N°.xj.

c.ſ.q. aq. Apoplecticæ. Quæ etiam ob deglutiendi difficultatem in aq. Hyſſopi diſſolui poſſunt. Si bolus ſit commodior efforma talem.

℞ *Electuar. lenitiu. drach.℥j.*
Diacatholic. drach.ſ.
Pulu. Syrij gr.℥j.
M. c. l. q. Sachari F. Bolus.

Vel

℞ *Aq. Anteparalytic.*
Prophylactic. ana ℥unc.j.ſ.
Betonic. ℥unc.ij.ſ.

Sy-

Syrup. de Stœchad. drach. x.
M. bibatur Cochleatim.

Interim ſternutationem elicere non omittas. Verb. gr.

℞ *Fol. Maior. drach. ij.*
Sem. Nigell.
Rad. Helleb. alb.
Flor. Lill. Conuall. ana drach. ſ.
F. pulu. qui in nares influetur.

Vel loco huius in nares per Syringen Vitriolum album in aq. Maioranæ diſſolutum injciatur.

Vires morbo ſubiectis viſceribus recolligendas hoc offert Electuarium.

℞ *Conſeru. Flor. Betonic.*
Lichnid. Coron.
Stoechad.
Poeon. ana drach. vj.
Primul. Veriſ.
Salu.
Lauendul.
Anthoſ. ana vnc. iij.
Speer. Diamoſch. dulc.
Diambr.
Acori condit.
Calam. aromat. condit.
Elect. Diacaſtor. ana drach. ſ.
Cranij hum. ppt.
Vngul. alcis combuſt. in aq. Poen. lotæ ana ſcrup. j.
Fol. Auri N°. v.
Ol. deſtillat. Cariophyll.
Cinnamom.
Succin.

Vi-

Vitriol. ana gutt. iij.

puluerizanda, & contusa puluerizentur, & F. c. s. q.

Syrup. Condit. Calam. aromat.

Vel *Nuc. Musch.*

Electuarium molle.

De quo ad vires roborandas sæpius castaneæ magnitudo tribus horis ante prandium exhibeatur.

Altero die hisce purgationem institues.

℞ *Resin. Agaric.*

Extract. Catholic. anagr. vij.

Salis tartari Vitriolat. gr. iij.

Olei Rorismarin. gutt. ij.

M. F. Pillul. N°. iv. Deaurentur.

Vel

℞ Rad. *Ireos nostrat.*

Fol. Senn. mundat. ana drach. ij.

Agaric. leuis. drach. s.

Sem. Poeon. scrup. j.

coqu. in aq. Betonic. in colat. dissolu.

Elect. Diacartham. drach. ij. s.

Olei Rorismarin. gutt. j. *s.*

M. F. Potus.

Quem sequatur simile confortans

℞ *Conserv. Flor. Betonic.*

Primul. Ver.

Anthos.

Theriac. Venet. ana drach. ij.

M. F. c. Syrup. Betonic. s. q.

Myxtura.

De qua aliquoties castaneæ magnitudo sumatur.

Plura alia apud Authores præscribuntur remedia,

quæ

quæ huc afferre omnia opere precium non eſt. Medicus, Medicamentorum theſauro diues, ditior iudicio ſit, vt eum, cui, cur, quomodo, & quando applicare ſapiat. Quarè pro curatione Apoplexiæ *à ſanguine* plura non proferam, quam ea, circa quæ ab altera differt. In altera enim ſanguinis miſſionem omninò damnaui ; Hic autem efficaciſſimum remedium eſſe prædico, eamque cum Rhaſe in vtroque brachio inſtituerem, & poſt 6. vel 7. horas (ſi vires ferant) reiterarem, aut omiſſa ſecunda, aut etiam prima, ſi æger eam non tolleret, cucurbitulas ſcarificatas ſcapulis, & dorſo applicarem. Cœtera (paucis mutatis) cum ſanguis non ſolùm, ſed cum cœteris humoribus conſtipatus peccet, circa omnia eaſdem limites ſeruent.

Item *Curatio* Apoplexiæ à vapore Narcotico, omnes prædictas reuulſionis ſpecies amplectatur, propinenturquè ea, quæ eorum ſopitam vim excitent, & refringant, inter quæ præcipuè Caſtoreum, tàm à Tralliano, quàm à Riuerio recomendatum, quod immittatur Ruta, Puleg. quæ aceto miſta naribus admoueantur. *Curatio.*

Experiri virtutem ſuam auidè etiam deſiderant Balſama Apoplectica, & ſternutatoria.

Nec hic Vomitoria ſpernerem, etſi Hoferus *in ſuo Hercul. Medic.* cauendum eſſe docet à Vomitorijs, niſi æger ſtatim à cibo Apoplecticus fuerit factus, & eodem tempore Medicus accerſitus ſit.

Diætam, quod attigit aer ſe ad calidum inclinet. Cibis regula ægrè dari poteſt, dum ſideratione tacti, tempore paroxyſmi eos non admittant, extra paroxyſmum ij ſint tenues, & pauci. Concoctu facilis, diſtributu celeres, & excrementorum onere, vaporumque periculo *Dieta.*

mini-

minimè onusti. Aromatizenturque Tragæa,& pulueredigestiua. Potus sit decoctum ex ligno Sancto, Sassafr. Visc. Quern. in aq. Betonic. composit. Vinum, grauia animi pathemata, cruditates omnes sunt cane peius & angue vitandæ.

PRAESERVATIO AB APOPLEXIA.

CVm Medici non solummodo sanitatem præsentem conseruare, & amissam recuperare, sed insuper ab imminentibus morborum insidijs corpus rationali anima imbutum præseruare officium sit, laborem de Apoplexiæ ante, & post patoxysmum præseruatione lubens suscipio. Et dum ea in tollendis antecedentibus, sicuti curatio in proximis continentibus, & coniunctis causis consistit, signa harum antecedentium causarum examinanda censeo, quæ talia sunt.

Signa imminẽtis Apoplexiæ.

Capitis nempè diuturna grauedo, & dolor, artuum æquo segnior motus, infrænata dormiendi cupiditas, oculis obuersantes nebulæ, Vertigo, incubus, somniorum grauitas, aurium tinnitus, collum breue, extuberantia venarum iugularium, mentis alienationes, rerum mox præteritarum obliuio, tristitia, membrorum tremor, per partes externas hinc inde diffugans frigus, &c.

Ex hac signorum serie causa antecedens, quæ aliquis sensim sine sensu incrassans humor est, cognosci potest: Dupliciter autem hæc cognosci potest, coniecturaliter scilicet, & perfectè. Si coniecturaliter tantùm cognoscatur, cautè cum remedijs tractandum est, ne præcauendo malum quid peius suscitetur. Ideò medicamenta, quæ

ta, quæ cum nullius periculi timore adhiberi possunt: vt

℞ *Ambr. gryseæ,*
Extract. agaloch. ana drach. j.
c. aq. Cinnam. F. Pil.

pondere gr. vnius, quorum gr. iij. bis, vel ter hora somni sumantur in aq. Cerasorum nigrorum.

℞ *Succi expres. Flor. Betonic. vnc. x.*
Rad. Betonic. vnc. ij.

Hanc radicem macera in succo per quatuor dies in loco calido, adde

Visc. Quern. viríd.
Pyr. ana vnc. j.
Betonic.
Maioran.
Rosmarin.
Borrag. ana m. j.
Gran. Betonic.
Cardomom. ana gr. j.
Vngul. alc. ras. & per tres dies in Vin. Maluat. indit. vnc. j.
Cran. hum. de Vir. & Fœm. persut. & in Vin. Rhenan. per tres dies macerat. drach. ij.
Succ. Borrag. opt. purific. vnc. x.

Hæc omnia bene misceantur, adde

Vini Maluat. lib. ij.
Lingu. Hirund. N°. v.
Picar. æt. 9. dierum N°. ij.

has pennis, & intestinis exoneratas in talneas scinde, & seorsim destilla, aq. verò destillatam reliquis speciebus affunde, addendo

Corall. rubr. pulueriz.

Bol.Armen.ppt.ana gr.j.ſ.
Croc.opt.gr.ſ.
Margarit.ppt.gr.ij.
Rubin.ppt.
Smaragd.
Granat.ana gr.j.
Auri in crucibulo deſtillat. & per tres dies macerati, atque in linteolum inditi drach.ij.
Affunde Vini Hiſpanici lib.j.

Hæc omnia ritè præparata in Vaſe vitreo deſtilla, lento ignis gradu in Balneo Mariæ.

Huius aquæ ſingulis diebus cochlear j. ſumptæ præſtantiſſimum eſt remedium, tàm pro præſeruanda, quàm demenda Apoplexia.

Si verò cauſam antecedentem perfectè, quod humor Cerebri anguſtias pariens, ſpirituſque torbidos efficiens iam aliquam ſibi ſedem in parenchymate Cerebri locauerit, cognoſces, ad validiora remedia curras, quibus primò Cerebrum, quod vel ipſum humores hos gignit, temperiei reſtituatur, aut ad aduētitios humores diſcutiendos roboretur, & incidetur. Si ſanguis hanc cauſam fouet quantitate, quod tamen rarò accidit, dum multi ſanguinei videntur non Apoplectici, indicantur imminuentia, quæ peraget Hæmorrhoidum fluxus, qui ſtudiosè elici debet, illo renuente V.S. & cucurbitulis ſcarificatis opus peragendum eſt. Si verò qualitas ſanguinis cauſam fouet, aut ipſe cauſa eſt, tunc aut eſt eius craſſities, viſcoſitas, aut eſt æquò ſpirituoſior, & vaporoſior, quæ eſt incidenda, attenuanda, & euacuanda, ſpirituum vero, & vaporum impetus, quibus ſpiritus animales turbando Apoplexia generatur, alteratione,

ne, & euacuatione ſedandi ſunt; ſiquidem in bilioſis ſubiectis ob ſpirituum, & vaporum copiam ſanguis primò aduritur, & aduſtus in atram bilem degeneratur, quare per certas temporis periodos euacuationes neceſſariò inſtituendæ ſunt. Quibus potiſſimum conueniunt Fol. Sennæ, Rhabarbarum, Polypodium, Quern. Epiſtimum, &c.

Cerebri autem temperiem cõſeruant, aut reſtituunt, ſpirituumque laſſitudinem arcent, oleum deſtill. Aniſi, N. Moſchat. Carui. Caryophillor. Succin. Saluiæ, &c.

Multos ab Apoplexia præſeruaſſe notarunt Practici, medium digitale Seminis Synapeos, vel Vinum, in quo Succinum infuſum fuerit. Vel

℞ *Succin. alb. vnc. ſ.*
Rad. Pæon. drach. j. ſ.
M.F. Pil. doſ. drach. j. quotidie ſumpta.

Diæta.

Non nihil etiam Diætæ leges pro preſeruanda Apoplexia conſideratas eſſe deſiderant, Auſtrinus enim, frigidus, humidus, nebulis inquinatus aer fugiatur. Cibus ſit paucus, iſque Saluia, Semine Carui, & ſimilibus aromatizatus, ſit hic nec vaporoſus, pituitamquè augens: hunc nunquam diurnus, & nocturnus ante duas horas tranſactas ſequatur ſomnnus. Potus ſit idem paucus, crapulis, & vinis generoſis abhorrendum, & abſtinendum. Exercitia nimia, grauia animi pathemata, Venerem irregulatam, ſub radijs Solis, & Lunæ longam moram fugias.

Præſeruationem ab *Apoplexia* à cauſa violenta externa; cùm hoc magis diuinum ſit, & humanam Medicorum excedit facundiam, ſuperis præcauendam ſubmiſsè relinquamus.

Obiectiones. Obijcies 1. Cerebrum non est subiectum Apoplexiæ. Ergo malè hic assignatur. Probatur antecedens auctoritate Aristotelis, dicentis, Cor esse principium motus localis; Ergo Cor est subiectum Apoplexiæ, & non Cerebrum; quia cordi insidet appetitus, ad cuius actum fit motus.

Respondeo cum Diuo Thoma *lib.1. de Anima:* Appetitum concurrere ad motum, mediatè, & præsuppositiuè imperando, non verò immediatè, motum eliciendo, quod soli Cerebro conuenit.

Vrgeo. Ex defectu spiritus vitalis, & eo impedito oritur Apoplexia, & non ex defectu, & impedito spiritu animali. Sed spiritus vitalis generatur in corde. Ergo Cor est Apoplexiæ subiectum. Maior probatur experientia: Hildanus *centur.6.obser.12.* Mulierem ex subita consternatione, ob Filij interitum sideratione tactam vidisse scribit. Item Plinius *lib.7.cap.53.* aliam Matronam ob Filij in expectati reditus gaudium Apoplexia extinctam memorat. Sed huic casus ex spirituum vitalium, cordisque suffocatione accidere. Ergo, &c.

Respondeo negando minorem, quod hæ mulieres sideratæ naturæ tributum soluerint, nimium enim gaudium caliditatis fontem ita exhausit, & ad ambitum corporis diffudit, vt ita exhaustus suffocatus fuerit. Sic etiam terror ob spirituum vitalium recursum alteram suffocatione cordis interimit. Terror enim in eodem instanti spiritus aut ita attonitos reddidit, vt cum sanguine in partibus subsisteret, aut eos ab ambitu corporis ad centrum suum propulerit, vt simul præcordia subitanea multitudine opplendo oppresserit, & suffocauerit. Et quis hos casus Apoplecticos nominet? nisi is,

qui

qui Cordis primariam cauſam cum Cerebri accidentibus confundere velit, aut enim omnes ſubitaneæ vitæ interitus, dicantur Apoplectici, aut ſolummodò ij, qui à Cerebro originem trahunt, ſicuti Gal. *de loc. aff. cap.* 10. Cœterum Syncopen ſecundùm omnes differt ab Apoplexia, quæ tali ratione non differret, ſi Apoplexia ob ſpiritus vitales affectos, ſicuti Syncope oriretur.

Vrgeo 2. Tunc Apoplexia dependet ab impedito ſpiritu animali, quando denegata ſanguinis circulatione fit Apoplexia. Sed &c. Probatur minor. Ex obſtructione venarum iugularium, & arteriarum carotidum fit Apoplexia. Sed hic circulatio ſiſtitur, ergo, &c.

Huic Herculi reſiſtendum eſt facillimè, dum illum ad antiquam Philoſophorum ſententiam, ſic ſonantem duco. A potiori ſumitur denominatio. Non enim in omni prohibita circulatione oritur Apoplexia, quod in magnis euacuationibus, Syncope, Lypothymia, in quibus æquè circulatio ſiſtitur, videre eſt. Ad omnes totales neruorum principij obſtructiones Apoplexia ſequitur, ergo. Neruorum principium, & fons, Apoplexiæ ſubiectum eſt. Denique quod hos oppugnantes maximè eludit, eſt hoc, quod in Apoplexia penitus læſa animali, vitalis adhuc ſubſiſtat facultas, quam pulſus magnus, & plenus ſignificat. Vltrò etſi circulatio ſiſtatur obſtructione, hæc obſtructio non dependet à corde, ſed à Cerebro, ſanguis enim per venas in ſinus craſſæ meningis ſurſum non effunditur, ſed ille ipſe ſanguis, qui per arterias in prædictos ſinus illabitur, à venis iugularibus internis, quæ in ſinus illos maximè laterales à natura in hunc finem inoculantur, rurſuſque abſorbetur, abſque circulationis lege, non ſurſum in ſubſtantiam

tiam Cerebri, sed à capite deorsum ad fontem vitalem reuertitur.

COROLLARIA.

I. Sicuti Ventriculus per singultum noxia expellere conatur, sic Cerebri expultricem materia morbifica irritat.

II. Cui cùm expultrix impar sit, hunc motum aut Epilepsia, leuis, vel grauis Apoplexia sequi debet.

III. Ictus sanguinis nihil aliud est, quam Apoplexia, à sanguine Cerebri meatus obstruente.

IV. Rectissimè Cornelius Celsus Apoplexiam vniuersalem corporis Paralysin nominauit.

V. Sanguis, Serum, Lympha, Pituita, Melancholia, Vapores, & Flatus valent Apoplexiam excitare.

VI. Cerebrum in Analogia respondet Soli, Cor verò Lunæ.

VII. Apoplectici ante trium dierum spatium elapsum, non sepeliantur.

DE COMATE, LETHARGO, CARO, & Catalepsi. Caput Octauum.

QVod caret alterna requie durabile non est, tritum hoc, & antiquum prouerbium inexpugnabili veritatis robore confirmat hæc sequens Symptomatum explicatio; dum horum Symptomatum barbaries, in animalis facultatis domicilium ob exercitam morborum tyrannisin iamiam defatigatum ita sæuiat, vt aut requie, qua vires recolligere, collectas morborum robori opponere natura possit, priuet; aut requiem nimium prolonget, vt post exhibitam mortis imaginis cœnam, morte ipsa Tragœdiæ finis imponatur. Quam si quem spectare lubet, is sequens caput inspiciat, & sit huius Prologus Comatis.

DE-

DEFINITIO.

COma, vel Cataphora est grauis, & nimia in somnum propensio, dependens ab inflammatione Cerebri, in quo æger sæpius excitatus oculos aperit, respondet, sed subitò in eandem somni profunditatem recidit, cum memoriæ, imaginationis, & ratiocinationis læsione.

Aliud autem est Coma vigil, & aliud somnolentum, in quo patiens oculis clausis profundè stertit, sicuti in Comate vigili, oculos quidem serratos tenet, sed integro tamen somno non fruitur. Idiopathicum est rarò, sæpissimè verò sympatheticum, dum morborum malignitatem sequi amat. Gal. *lib. de Comat.* rursus eum in *Phreniticum*, & *non Phreniticum* diuidit, Phreniticumque rursus in *ignauum*, & *expeditum* discernit. *Phreniticum* præsens, *non Phreniticum* absens delirium, *ignauum* rarissimus ægri motus, *expeditum* frequentiores è lecto saltus adstantes inuadendo, & similia denominant. *Differentia.*

Causa huius Symptomatis extra omnem controuersiam composita esse debet, dum somnolentum, & vigil Coma efficiat, quæ est intemperies Cerebri frigida, & humida, docente Gal. *lib. de loc. affect. cap. 5.* Vapores narcotici maximè etiam in hunc affectum concurrunt, siquidem vt ante dictum fuit, Coma febres malignas sequitur. Nonnunquam etiam hoc malum radicem fodit ex nimia virium debilitate, doloribus vehementioribus, &c. Signa non solummodò dicta, sed vulgus eorum notitia satis demonstrat. *Causa.* *Signa.*

Pro-

Prognosticum. *Prognoseos* periculum cum maiore, grauiore, & pertinaciore causa crescit.

Indicationes. *Indicationes* quoad curandam intemperiem ex generali Galeni præcepto contraria indicantur quoad vaporem reuellentia, deriuantia, & euacuantia.

Curatio. *Curationem* quod attinet, cum hoc & sibi similia mala, rarò, aut nunquam non febribus adstipata sint, tota Curationis methodus ad febrem, tanquam causam dirigenda est. Qua deleta delebitur & effectus; si non partes consentientes, permanentem mali receperint dispositionem. Nam etsi causa efficiens conquiescat, effectus tamen docente Galeno *loc. cit.* permanet.

Lethargus. Lethargus, seu Veternus, cum Comate somnolento in omnibus conuenit, præter quam quod febrem lentam, præter continuam dormiendi necessitatem coniunctam habeat. Diuiditur in *Legitimum*, & *Notum*, *Legitimus* dependet ab inflammatione pituitosa, *Notus* verò à materia copiosa spongiæ turgidæ instar Cerebri Parenchyma refrigerante, & angustante, vnde etiam Lethargus à quibusdam tumor Cerebri nuncupatur, & Auicennas Apostema phlegmaticum nominat.

Signa imminentis lethargi. *Signa imminentis Lethargi*, non multum sunt absimilia signis imminentis Apoplexiæ. *Præsentem* verò demonstrant supinus ægri decubitus, somnus pręternaturalis, crurum, manuumque distensio, auhelitus, & respiratio tarda, & debilis, pulsus magnus non respectu sanitatis, sed respectu respirationis, quæ cùm sit parua, & necessitati sufficere non valet, eius loco pulsum magnum fieri necesse est; item pulsus mollis, & vndosus, ob partis affectæ, Cerebri nimirum mollitiem, inæqualis ob putredinem, & rarus ob partis affectæ non adeò

cordi

cordi propinquam distantiam. Vrina lactea, crassa, pauca. Ob pituitæ ad laryngem, & pulmones effluxum tussis, oculorum, & faciei tumor, & pallor, sudor extremarum partium ad frigiditatem inclinans, febris lenta, &c.

Ad *Prognoseos* periculum demonstrandum accurrit Galeni Auctoritas 4. *de Causis pulsuum*, necnon Celsi *lib.* 3. *cap.* 12. & partis nobilis principalioris que actionis læsio: item timor in Spacælum, & sideration em demigrationis. Hippocrat. *lib.* 2. *de Morb.* Eum tamen non semper læthalem esse prædicat, inquiens: Quod septimum diem transiens, non interficiat, dum interea morbi vires imminuuntur, & naturæ adaugentur: magnam etiam spem copiosus sudor, respirandi facilior libertas, Parothydes superuenientes, & Phrenitis promittit. E contra periculum denotant Vrinæ tenues, albæ, ætatis, anni temporis, & temperamenti maior inconuenientia, hirudinum, fronti applicatarum delapsus, panis vel lardus, cum quo patientis frons affricabatur, & Cani ad deuorandum proiectus, à cane recusatus. *Prognosis.*

Indicationes desumuntur à subiecto, forma, & à causa efficiente, quæ cùm sit intemperies, & aucta magnitudo, *intemperies* reposcit per contraria alterantia, *aucta magnitudo* per ablationem causæ morbificæ in Cerebro *existentis* attenuantia, incidentia, & euacuantia, *fluentis* verò reuellationem, deriuationem, & interceptionem. *A forma morbi* cùm hæc sit actio Cerebri diminuta per excitantia indicatur restauratio. *Indicationes.*

Carus est sensuum internorum, & externorum motusque voluntarij abolitio, cum somno inexcitabili, salua tamen respiratione. *Carus.*

Differentia. Inter Idyopathiam, & Sympthiam *differentia* conquiescit, quæ *magis*, & *minus* continent.

Causa. *Causa* necessariò debet esse prohibitus spirituum animalium in sensus, & motus organa influxus, quem efficiunt aut humores crassi, frigidi, in Cerebro collecti, vel venenatorum medicamentorum, carbonum fumi, musti, vini, cereuisiæ feruentis, & Narcotica vis, & prædictorum vapores, hoc autem efficiunt obstruendo, sicuti compressiones cranij, & cerebri, temporum contusiones fortiores comprimendo. Multum etiam hanc concitandi affectionem efficaciæ habent aer frigidus, humidus, loca niuea, frigida, &c.

Signa causarum, & effectus prodit ipse affectus.

Prognosis. Prognosis ob omnium actionum animalium sola excepta respiratione, affectionem periculo scatet, idque augetur, dum diminuitur respiratio, immò debilitata respirationis facultate, Carum iam iam in Apoplexiam sese conuertere indicium est.

Causa dein, quæ ab externo prouenit, faciliorem admittit curationis methodum.

Quoad Indicationes, & per consequens ad curationem cum Apoplexia parum, aut nihil absimilis est.

Catalepsis. *Catalepsis*, est repentina insensibilitas, & immobilitas omnium corporis partium, cum principum actionum abolitione, salua sola respiratione, & pulsu, à densitate, frigiditate, & siccitate neruorum dependens.

Rarissimus hic est affectus, & ideò magna dignus admiratione, eò quod ille patientes in omnis generis statu, siue sit stans, legens, sedens, scribens, bibens, edensque in vno momenti articulo immobilem, sensusque tàm interni, quàm externi priuatum reddat, ita vt sta-

tua

tua magìs, quàm homo appareat, & multis, an huiusmodi patientes in ecstasin rapti fuerint, dubitandi occasio oblata fuerit.

Differentiam per magis,& minus cognoſces. A Caro, & Lethargo differt propter oculorum apertionem, quã in Lethargo nunquam, aut rarò,& ſubitò recluſam videbis. A Tetano Catalepſique *nota* per motum diſtinguitur, in illa enim motus abolitus, & in illis tantùm deprauatus eſt, quippè in *Catalepſi nota* manus quandoque eleuari videntur. *Differentia.*

Pars affecta ſunt nerui, tàm ſecundùm medullarum (vt in Paralyſi) tàm etiam internam partem (vt in conuulſione.) Afficiuntur autem à denſitate facta à frigiditate, & ſiccitate ſpirituum tranſitum eos (vt ita loquar) congelando impediente: Vnde etiam congelatio à multis Authoribus dicitur. Siccitati hic plus,quàm humiditati cauſæ efficientis ratio hac ratione tribuitur, dum in hoc affectu recordatio, & imaginatio motu facilior elicienda ſit. Vnde verificatur hoc Platonis Sapientia in ſicco. Denſitas autem hæc maximè fit, aut à vapore melanchòlico frigore condenſato, quæ ſæpius calore diſcuti poteſt,aut cum vapores ab vtero,liene, meſaraicis, &c. ad caput tranſmittuntur, & adueniente eius diſpoſita intemperie frigida nimirum condenſantur. *Pars affecta.*

Signa ex affectu patent.

Prognoſticum periculoſum omnes huic affectui tribuunt, inter quos primo Hippocrates 3. *prorrhet. text.* 4. *quæ cum ex ſolutione fiunt Catoche, & Amphonia periculoſæ ſunt.* Lethargo tamen faciliorem admittit curam. Paroxyſmi impetus tollere difficile eſt, reditus conatus *Prognoſis.*

cohibere difficilius, si illis non tempestiuè succurritur patientes stupidi obeunt, aut propter virium dissolutionem, aut etiam suffocationem, dum ab impedito motu respiratio supprimitur.

Indicationes. *Indicationes* vaporem illum spiritus influxum congelantem, & eo ipso impedientem ob necessitatem omissis præparantibus vehementioribus euacuandum, fluentem verò reuellendum, deriuandum, & intercipiendum esse dictant, & intemperiem, quæ se instrumentum præbet calefacientibus, & humectantibus alterandam: vnde conueniunt medicamenta cephalica, & in soporosis affectibus vsurpata. Recensita horum affectuum causa, Forma, Diagnosi, & Prognosi superest vt cura, quæ Indicationibus satisfaciat, apponatur. Cùm autem (vt supra admonuimus) huiusmodi symptomata febrium comites sint, cura necessariò à febre dependet, si verò per se contingant, communem inter se admittunt curam.

Comati somnolento conuenit eadem, quæ Apoplexiæ debetur, cura, at paulò remissior.

Cum cœteris talis instituatur cura. Primò post factam leuem purgationem in corpore plethorico V. S. celebretur. Post hanc vaporem ex Cerebro per reuellentia, deriuantia, & incidẽtia propellere conaris, quod clysteribus commodissimè poteris, vt naturæ conatum ad tuum auxilium prouoces, tàm intro sumptis, quàm extra admotis Cerebrum cõfortes Cephalicis. Dein scapulis, & dorso siccæ, & scarificatæ cucurbitulæ, ceruici, brachijs, natibus, &c. Vesicatoria, temporibus hirudines, capiti cauteria, naribus odoramenta, tàm fœtida, quàm beneolentia, fronti vnguenta, aluo suppositoria,

toria, & auribus ingentes ſtrepitus applicentur.

Ruffus hanc purgationem præſcribit: Sorbaitij tamen iudicio nimium vehementem, quæ igitur pro ſtatus ratione diminui poteſt.

℞ *Fol. Senn. ſ.ſ. ℥nc.ſ.*
Agaric. recent. trochiſc.
Rhabarb. ana drach. i.ſ.
Galang. drach. ſ.
Coqu. in ſ.q. aq. Betonic. in colatur. vnc. iij.
diſſoluc *Electuar. Diacarth.*
Syrupi Diaſerios ana vnc. j.
Caſtorei ſcrup. ſ.
M. F. Potio.

Vel

℞ *Pulu. Syrij gr. xiij.*
Extract. Caſtor. ſcrup. ſ.
M. c. ſ.q. aq. Saluiæ l. Caſtorei
F. l. a. Pil. N°. vij.

Pro vapore reuellendo ſeruiet talis Clyſter. quem magnus ille Sennertus præſcribit.

℞ *Herb. Parietar.*
Mercurial.
Saluiæ.
Maioran.
Betonic.
Cent. minor. ana m. j.
Agaric. in pet. ligat. q. ſ.
Coqu. in Hydromell. q. ſ. Colaturæ ℞ lib. j.
adde *Elect. hier. ſimpl.*
Ind. ana ℥nc. ſ.
Ol. Lil. alb.

Ru-

Rutæ ana vnc. j.
Mell. Rosat. l. Anthos. drach. j.
Ol. Communis drach. j.
M.F. Clysma.

Cerebrum cum frontale simili confortare docet idem Sennertus.

℞ *Ol. Chamomil.*
Rosar. ana vnc. j.
Acet. optim. vnc. ß.
Aq. Betonic.
Verben. ana vnc. ij.

Vel vngatur frons vnguento alabastrino cum oleo Chamomillę commixto. Vel etiam Palatum aurea Alexandrina cum Extracto Castorei mixta. Multi etiam in huiusmodi soporosis affectibus à causa frigida, frixorium candens, in quo prius semen Pœoniæ, Staphi, Diascariæ coquędum, capitis vsque ad capillorum combustionem, applicant, vt per hunc calorem actualem pori cutis resarętur, humor pituitosus resoluatur, & discutiatur. Inter sumenda per os suadetur Conserua Florum Anthos, vel Betonicæ, castaneæ magnitudo. Naribus odorem fœtidum facies pilis combustis, Castoreo, asa fœtida, &c. Aluo suppositoria indantur acriora, vt

℞ *Vitell. ouor. ad durit. coct. N°.* j.
Fel. bou. liquid q. s.
Salis commun. parum.
malaxentur, & F. suppositorium.

Plura Medicamenta desideranti patet præstantissimorum Auctorum Thesaurus, in quo eligendi copia, cum Iudicij diuitijs abundet, vt apud Schenckium, Donatum, Marcellum, Sorbaitt. Sennert. &c.

Diæ-

Dixthætici fontis huiuſmodi ſoporoſi affectus ſtrictam exigunt regulam, quæ docet omnem victus rationem calefacientibus, & ſiccantibus inſtituere. Præterquam in Catalepſi humectantia. *Diæta.*

Obijcies. In Lethargo non poteſt eſſe febris, ergo malè hic aſſeritur. Probatur antecedens. Tunc non poteſt adeſſe febris, quando neceſſariò præſente febre deleretur Lethargus. Sed &c. Minor probatur, tunc præſente febre deleretur Lethargus, quando cauſa febris vt calor cordis per totum corpus diffuſus, ſicuti in alijs huiuſmodi ſoporiferis affectibus, materiam morbificam à cauſa frigida diſcutit, etiam pariformiter materiam morbificam Lethargi diſcutere debeat. Sed &c.

Reſp. Negando antecedens, minoriſque probationem. Ad eius probationem dico, quòd præſente febre deleretur Lethargus, ſi cauſa febris ita gradus cauſæ Lethargi excederet, vt eam exſtinguere valeat, at hic non ita excedit; ergo præſente febre tantùm lenta, & non feruente non deletur Lethargus. Nam Hippocrat dicit, affectus ſoporoſos delere ſuper aduenientes febres vehementes, & feruentes, non autem lentæ.

Vrgeo ſi adeſſet febris, tunc iſte calor febrilis deberet eſſe communicatus cordi à Cerebro lethargico, ſed à Cerebro lethargico cordi non poteſt communicari calor, dum cor ſemper, & naturaliter ſit calidius Cerebro lethargico. Ergo etiamnum non poteſt eſſe febris cum Lethargo.

Reſp. Diſtinguendo minorem, non poteſt communicari à Cerebro lethargico cordi, calor naturalis. Concedo minorem, calor præternaturalis, & putredine coniunctus, qui febrem lentam excitare valeat. Nego minorem.

norem. Est quidem cor quoad partes magis spirituosas Cerebro etiam in lethargo pœnitus inflammato calidius intensiuè, non autem extensiuè, dum demum præter naturam ob communicatam à Cerebro putredinem incalescat.

Queras cur Lethargus à Phrenitide possit prouenire, cum *Phreniseos* causa sit calida, & *Lethargi* frigida.

Resp. Hæc fieri ex triplici ratione; Primò propter medicamenta stupefacientia, nimiumquè refrigerantia, Phrenitidi scilicet admota. Secundò. Quod consummata materia biliosa, pituitosa, accendatur putredine. Tertiò. Quod Cerebri substantia labefactari, & corrumpi incipiat. Et è contrario ex Lethargo Phrenitis oriri potest, dum Lethargo nimium calefacientia adhibeantur, febrisquè lenta maiores induat furias.

COROLLARIA.

I. QVando dicitur Lethargus, primò existit febris, quam Lethargus, vt symptoma consequitur.

II. Somnambulos causat ratiocinatio obscurata, & imaginatio fortior, ab obiecto interno, per somnum repræsentato, facta, sensibus penitus quasi ligatis appetitum, ac hinc locomotiuam, ad aliquid agendum stimulans.

III. Quod somnambuli tàm multis præcipitijs sine damno se committant, ratio non ex leuitate corporis, spiritu turgentis, sed ex sensuum ligatione, & rationis in somno immersione haurienda est.

DE PHRENITIDE.

Caput Nonum.

HIppocrates omnes delirantes vocabat Phreniticos, & eius proximiores *Phrenesin* morbum mentis

mentis appellabant. Galenus autem cum ſuis aſſeclis eam ab inſtrumento patiente ſcilicet *Nephritide*, vt Pleuritidem inflammationem à Pleuritide denominauit. Quod verò ſecundùm mentem Diuini Hippocratis non omnes delirantes vocandi ſint Phrenitici, ex Phreniſeos,& Paraphreniſeos differentia patet. *Phrenitis* enim non alia dicatur,quàm dum membranæ Cerebri primarium morbi ſubiectum agunt. Paraphreniſis autem ea dicatur,quæ à febrium continuarum,& quandoque etiam intermittentium paroxyſmi vigore, & ſepto tranſuerſo inflammato,quod Veteres quidam mentis ſedem putarunt, excitatur.

DEFINITIO.

PHrenitis eſt continuum delirium, modo minus, modo maius furioſum ab inflammatione membranarum Cerebri, ſpirituum animalium accenſione, & principum functionum diminutione dependens, cum febre continua, & acuta, vigilijſquè pertinaciſſimis.

Sicuti materia turgens varia cauſat ſymptomata,tàm ratione varietatis materiæ ipſæ, quæ hoc in ſtatu ſanguis purus eſſe poteſt, qui, dum purus durat, nec propter eius inflammationem in atram bilem tranſit, leuem cum riſu, paucàquè in ſomnum propenſione,atra verò bilis ſæuiorem, pallida adhuc ſæuiorem, & flauæ admixtio, quæ adurendi vim exerit, ſæuiſſimam Phreneſin creat, tàm etiam ratione varietatis ſitus, in quo materia turget, & eius temperamenti operationis, & vſus phreneſis variat. *Differentia.*

Si enim Cerebri membranas solùm occupat, *Sirsen calidam*, vel Carabithum ab Arabibus sic dictum causat, si verò corpus ipsum inflammat, *Sibare* ab ijsdem sic nominatum generat. Item dum sanguis, vel humor biliosus membranas tantùm obsidet, *tumultuosa*, si verò omnes Cerebri meatus pœnitus percurrit, *Hectica*, & obscura, in qua patientes non vociferantur, & exsiliunt, sed rarò mutato cubitu quieti iacent. Vt Gal. *in* 1. *porrhet. commemor.* 1. *cap.* 33. oritur.

Differentia. Præcipua dein differentia inter Idiopathiam, ex qua *Phrenitis*, & Sympathiam, ex qua *Paraphrenitis* resultat, videnda est, item quandoquè hoc malo correpti visu solo, auditu solo, modo linguà, modo imaginatione, modo alijs delirant.

Pars affecta. *Pars affecta* ex prædictis satis clarè conspicienda est.

Causa. *Causa immediata*, & proxima est membranarum Cerebri inflammatio, & spirituum animalium accensio. *Mediata* est sanguis æquò calidior, biliosus, acris, & tenuis. Item alij pituitosi, & atrabiliarij humores, vt Gal. 3. *Epidem commem.* 3. *ægrit.* 4. *tit.* 75. quos quandoque malignitate quadam præditos fuisse aduertit, in causa esse possunt. His accedit temperamentum cholericum, aer calidus, & siccus, subitaquè eius in crassiorem, & impuriorem mutatio, ciborum vsus in dulcedine, & aromatibus modum excedens, grauia animi pathemata, vigiliæ nimiæ, euacuationum consuetarum suppressio, infrænatus Veneris vsus, Cerebrum à febrium malignarum furore, caliditatequè intemperatum, hepar malè concoquens, & concoctum in biliosis partibus malè segregans, &c. Paracelsi asseclæ Tartarum etiam accusant.

Phre-

Phrenitidem imminentem cognoſcere docearis ex præcipuis ſignorum fontibus, pulſu vtpote & vrina, hic non adeò fallacibus. Pulſus enim eſt celer, & durus, vrina verò prius craſſa, & rubicunda, poſteà tenuis, & alba. Galenus tamen vrinam magis Prognoſtico, quàm ſignis conducere arbitratur. *Signa imminentis Phrenitis.*

Hippocrates verò vrinas decolores, & nigras turbulentarum vigiliarum, item ſublimè petentes abſque reſidentia, item per rubræ, ſublimequè petentes mentis aberrationis ſigna cenſet. Sublimè autem hoc petere non intelligimus craſſiora quædam in tota ſubſtantia vrinæ aſcendere, ſed potius ea ſublimè petere dicimus, quæ euaneſcunt, quod inſuper ſublimè petere humoris ad caput aſcenſum, reſidentia verò in turbulentis, & putris, nigriſquè materiam adhuc in ſubiectis partibus vigere ſignificat.

Quare Hippocrates 4. *aphor. 72. quibus vrinæ albæ, & perſpicuæ, præſertim ſi in delirantibus apparent malæ.* Siquidem materiam capiti infixam hęrere demõſtrant. Præterea prænuntiant vigiliæ nimiæ, ſomnus interruptus, mentis paruæ alienationes, aurium tinnitus, obiecta viſus gemina apparentia, palpebrarum, & oculorum rubedo, eorumque inordinatus motus, toruus, fixuſquè in adſtantes aſpectus, lachrymarum defluxus, vocis, & loquelæ interruptio, in reſpondendo iracundia, mox dictorum obliuio, &c.

Præſentem verò Phrenitidem ex his ſignis Pathognomonicis præcipuè cognoſcendam habes; Febre nempè continua, & acuta delirio, & vigilijs pertinaciſſimis. Ex quibus Prognoſticum hoc ſanè periculoſum exſurgit plus mortem, quam ſalutem prænuntians, vn- *Signa præſentis.* *Prognoſis.*

de Auicennas *lib.* 3. *cent.* 1. *tract.* 3. Vnica die Phrenesin morte extinctam narrat. Item Gal. 3. *Epidem. commem.* 3. *ægr.* 4. Tertio die patientem iugulare asserit, periculosior est, si mali sitis non solùm membranas, sed Cerebrum ipsum exhaurire auet, dum ipsius Cerebri inflammatio in Gangrænam, & Sphacelum degenerat, quo Hippocrat. hic prognosticatur 7. *aphor.* 50. *Quibus Cerebrum Sphacælo correptum est intra dies tres moriuntur, si verò hos superant, sani fiunt.* Spes salutis plus ex naturæ quam Medici viribus haurienda est, nec tamen Medicus naturam adiuuando, & morbum deprimendo desit, effectum felicem de indicationibus benè consideratequè sumptis, harumque satisfactione, curatione scilicet debita sperans. Tales igitur sunt formandæ

Indicationes. *Indicationes.* Humor ad Cerebrum fluens reuellendus, deriuandus, intercipiendus, repellendus, & euacuandus, fluxus sensibiliter euacuandus, vel insensibiliter discutiendus est. Si humor attrahatur ab intemperie Cerebri calida refrigerantia, si à dolore, mitigantia, si à parte inferiore transmittatur, tam parti mittenti, quàm recipienti alterantia, roborantia, & expurgantia indicantur. Non omissa perspectissima comitis febris cura. *His indicationibus satisfaciet.* Talis

Curatio. Chyrurgicum fontem citò, tutò, & iucundè applica, & si necessitas exigit, & plethora suadet intra 24. horas ter, quateruè repete, si tibi mali furor nullas promittit inducias vna vice, quod quatuor vicibus peractum velis, perage, & sanguinis in acuta plus sanguinea ad vnc. xiv. in plus biliosa, & peracuta ad vnc. vj. aut vsque ad lypothimiam educas, quia vires propter materiæ morbificæ admixtum sanguinem validæ sunt.

In

In Sympathetica parciùs procede, & in Hectica Phrenitide omninò venæ sectione supersedendum est. Quare in Paraphrenitide, vt inflammato septo transuerso ad audaciam in venæ sectione Arethæus incitat, quia ibi sanguinis fons vicinus est. Quæ vena dein secanda, hoc nostrum arbitrium recusat, & rationem consulit, itaque cephalica eligatur, quia partim influit, & partim influxit peccans materia. Arethæus medianam laudat, tamen sanguinis vbertate, & copià Cephalica, parciore copià Mediana, & adhuc minore, Basilica primas teneat, quæ reuulsioni, & si consultum videbitur, & morbus ad augmentum properat vena *frontalis* deriuationi seruiet. Nec solùm sanguis ex sectis venis, sed & cucurbitulis, vt vnà scarificatà ceruici, & alterà siccà, interscapulio applicatà, & Hirudinibus retro aures, & temporibus applicatis, educendus est. Et quando atra bilis præ cœteris malum fouet, hirudinibus hæmorrhoides recludendæ sunt. Ad Chyrurgicum fontem adhuc pertineant frictiones, & crurum ligaturæ, quæ magna è capite euertendi efficacia pollent. Hoc exhausto fonte ad secundum Pharmaceuticum scilicet recurras, quo ante omnia aluus lenientibus sollicitetur ad irritationem, cui lactuca, quæ non solummodò clysteribus, sed in omnibus Syrupis propter inditam sibi somnum inducendi, materiamque ferientem domandi virtutem immiscea-tur, præcipuè inseruiet. Quam Violaria, semina frigida, oleum Violarum, Mel rosatum, Cassia, Malua, Parietaria, summitas Anethi, &c. non sine fructu comitantur. Summè etiam sequens Iulapium recomenda-tur, vt

℞ *Aq. Endiuiæ lib.* j.

Succi

Sùcci Granat.acid.& dulc.ana ℥nc.j.
Sacchar.lib.ſ.
M.F. Iulapium.

Non minore recomendatione dignus eſt Syrupus acetoſæ, Citri, & Roſatus ſolutiuus, ſimile purgans etiam non incongruè propinari poteſt.

℞ *Electuar.de ſucc.Roſar.*
Catholic. ana drach.ij.
Syrup.Violat.
Roſat.ana ℥nc.ſ.
Decoct.hordei ℥nc.iij.
M.F. Hauſtus.

Vel

℞ *Myrobal.Citrin.*
Indos ana drach.ij.

Coq.in lib.ij. Aq. Violarum ad dimidiæ partis conſumptionem colaturæ, adde

Prunas N°.xi.
Tamarindæ drach.ij.

iterum coct. expreſſion. adde

Mann.Calabrin.℥nc.ſ.

Ante omnia tamen multifarij vitæ ſacrati liquores corpora penetrantes, penetrando dolorem, eiuſquè cauſam diſcutientes, diſcutiendo cauſam refrigerantes, refrigerando ſomnum inducentes, inducendoquè ſomnum malum propellentes, foras horis debitis applicentur. Vnde Democritus, dum, quod maxima vitæ tutela eſſet? rogabatur, foris olea, & intus mel reſpondit. Quare dulce hoc præſidium amplectaris, cuius hæc formula.

℞ *Olei Roſar.compl.*

Vio-

Violacei.
Nymphææ ana vnc.iij.
Aq. Lactuc.
Nymph. ana vnc.iij.
Succ. Citri vnc. j.

M. & Syncipiti, temporibusquè linteo admoue. Vel

℞ *Aq. Rosar.*
Aceti Rosat.
Lact. muliebr.
Olei Rosar. ana q. s.

Linteo madente fronti, & Syncipiti applica. Fumos à capite summopere arcet.

Si humida displicent

℞ *Farin. hord. m. s.*
Lact. muliebr.
Aceti Rosat.
Ol. Rosat. ana q. s.
ad faciendam massam.

Cum declinationis spes affulget calida modicè frigidis admisce, ne Phrenitis in Lethargum abeat, vt oleo Chamæmel. Lini, Anthi. Decoct. Maluar. Post hæc Euphorbium, Castoreum, Columbas viuas, Omentum in sartagine calefactum, cum oleo Chamæmel. pulmones brutorum, æstate tepidos, hyeme calidos, capiti secundùm vniuscuiusque exigentiam imponas.

In Paraphrenitide inungatur Oleo compl. cum Coniza, Anetho, præsente inflammatione adde Farin. hordei, Seminis Cumini, apij, Fœnugræci ana q. s. F. c. melle Cataplasma.

Non solùm caput, sed & pedes, manusquè refrigerationem, reuulsionem, & somni reconciliationem exigunt.

gunt. Testes quoque non sine fructu spongiâ marinâ, aceto, aquâ Rosat. & similibus intinctâ, inungi possunt. Cuius rei mihi fides adaugetur, quod Testiculi, materiam Cerebrum occupantem attrahant, dum sæpius propriâ experientiâ edoctus fuerim, quando manè propter hesternam crapulam dolorem capitis cum testiú in aquam frigidam immissione arcebam. Non credenti patet experiendi modus. Præterea hepatis, cordisque regiones conuenienti gratoque oleorum liquore sollicitentur.

Cautiones. Hac in Curatione varia sedulò circumspecta esse volunt, inter quæ primùm est, ne opiatorum vsus nimium frequentetur, dum metus est, ne Phrenitidem Lethargus sequatur. Secundum, ne posticis, & vertici huiusmodi refrigerantia imponantur, dum hæc neruis subitaneum indicant bellum. Tertium, ne refrigerio vtaris, dum ex aliqua parte indicium apparet, delirium ortum ducere à futura hæmorchagia, quam Crisin cognosces ex Pepasmi signis, vrina, & pulsu, præsertim dum quædam *atrophia* adsit. Quartum, ab immodico Aceti vsu abstineas, siquidem vigilias, doloresque quandoque promouet.

Alui interea memor sis, vt hæc sit liquida, & vrina quoque fluat, pubes foueatur decocto Asari, Petroselini, ex Vino sumantur fructus Alkekengi.

Symptomata eius, quod attinet ablatâ causâ scilicet Phreniseos caliditate, tàm & febris, quàm vigiliæ Medicinæ, & Naturæ viribus cedent; secus Topicis contra vigilias vtendum.

Dietæ comẽdatio. Dum declinationis quoddam specimen elucet, non prius victoriam exclames, nisi certus sis, quod sub nomine

mine pacis non bellum lateat. Nam in ea herba, quæ tibi pacifer apparet, mortifer anguis latere poteſt, quod quandoque Medicum, tàm & Patientem fallit. Dolor enim nunquam maior, quã vbi ampliùs ſentitur. Quippè viſcera tormentorum diuturnitate labefactata, in conſuetudinem (vt ita dicam) quaſi redacta, æqualique temperie ſubacta, dolorem amplius non percipiunt, ita, vt ſæpius, dum ſeſe iugo morbi liberatos putant, in diram mortis ſeruitutem rapiuntur, quod multorum Medicorum experientia teſtabitur. Quare in hiſce caſibus Diætæ leges ſtrictè, & rigorosè obſeruandæ ſunt, quæ hoc in ſtatu tales eſſe oportere ratio, & experientia dictat: vt ægri locus nec ſit obſcurus, nec etiam lucidus. In luce quæ non ſunt, cernentibus alienaſque imagines cernere dicentibus, obſcurus ſit locus, nec imaginibus feſtiuis, & floccis, ſed odore Camphoræ, Aquæ roſatæ, vel etiam Nympheæ confectus. *Victus* pro morbi varietate quoque varius ſit, vt in non exactè acuta, quæ vigeſimum diem, *ptyſana integra*, quæ decimum quartum *ptyſanæ ſuccus*, quæ ſeptimum, *ptyſanæ Cremor*, quæ quartum excurrit diem, in ea die inediæ conuenit, cibus præterea in omnibus ſit madens, & ad frigiditatem inclinatus, vt *Hordeum*, *Prunæ*, *Iuſcula*, *Lactuca* alterata, vel capite, aut ſeminibus papaueris, vel quatuor frigidis Nodulæ incluſis. Arethæus ſummoperè commendat Diuretica, Maluam, Betam, Apium, cucurbitam, item Lactucam coctam Saccharo violato, & Cichoreo confectam.

Potus etiam vt victus cum morbo variat, quibus enim alteri vires incipiunt, his Arethæus vinum concedit, nam inſaniam demulcere, & emolleſcente ani- *Potus.*

mo viam mitigare inquit. Quibus bilis ventriculum mordet, sitisque arescat, plena manu idem lac cum aqua propinat. Nec potus generaliter sit exactè frigidus, qui tales Iulapium esse potest, ex granatis scilicet, Syrupo violato, Nympleæ, rosato vel de Ribes, cum aqua hordei.

Quoad cætera Patiens sollicitè tractetur, ne eo obijciatur aliquis, quem antea odio prosequebatur. Iræ causam, quandoque astantes iustam annuent; si verò in nimiam insaniam erumpit, reprimendum esse Arethæus censet, si declinante morbo delirium fatuitate permutatur, & capiti plusquam præcordijs (quod ex præcordiorum mollitie cognoscitur) morbi focus tribuitur, caput sæpius, ad corpus difflabile reddendum, siccitatem obtundendam, & mentem stabiliendam, lauetur. Aer debet esse potentia frigidus, actu verò temperatus, ne actu frigidus poros cutis nimium constipet, & putredinem, vna cum intemperie calida per accidens augeat.

Quæres primò. An actu frigida, aut tepida magis Phreniticis admouenda sint? Tepidorum vsus suadetur, vt difflatio non prohibeatur. Auicennas tamen, & Haly in ferina Phrenitide actu frigida applicãda asserunt, tamen cum insigni Riolano ad experientiam recurro, & huic quæstioni me satisfeciisse arbitror, nam manifestè videndum est, si aquæ feruentissimæ tepida affundatur, quod feruescentia subitò remissionem suscipiat.

Resp. itaque, quod actu frigida si à glacie differunt, moderationemquè contineant, adhibenda.

Quæres secundò. Cur Phrenitici cum se in torrentem prosternebant, sani euaserint, si aqua frigida Phre-

nitidi

nitidi non applicanda videtur.

Resp. Aquam huius torrentis necessariò moderatam fuisse oportere, & quidem duabus ex rationibus, quarum prima est hæc; quod scilicet in Vere, quo huiusmodi furores, & Melancholiæ excitantur, teste Hippocrate, Sol sibi expositam aquam, glacie hyemali, frigore intenso priuet, & ad moderationem inquinet. Secunda ratio est hæc: quod secundùm Auicennam 1. 3. *cap. de Carabitho*, & Alexandrum *cap. de Phrenitide* aqua gelida, & immoderata interne Phlegmoni nocendo, delirium augendo, resolutionem materiæ prohibendo, neruis aduersando, & cùm hæc omnia præstent Phrenesin sanare non potuerint. Insuper, nunquid tàm subitanea vehemensque mutatio ab vno extremo ad aliud extremum interitum causet. Necessariò igitur est, vt huiusmodi aquæ moderatæ fuerint, quas maior etiam prudentium turba non solummodò in Preniti-de, sed & febribus secundùm ipsum etiam Hippocr. qui febrim, Venæ sectione, & aquæ frigidæ potu, sanare docet, non contemnit.

COROLLARIA.

I. ÆTernæ veritatis est ilud Hippocratis, quod Cerebrum, cucurbitulæ ad instar, subiecti corporis humorem ad se attrahat.

II. Erroneum est dicere Cerebrum inflammari, aut apostemari non posse; si non fit per modum reumatis, seu fluxionis, fit per modum coniestionis. Gal. 6. *aphor.* 53.

III. Vt frigus spiritus torpidos, ingenij tarditatem, mentisque torporem, & soporem excitat, sic calor spiritus torpando, nimiumquè mobiles reddendo, errorem, & deliria degenerat.

IV. Delirium nullum tritum.

V. Dolor magnus nunquam longus.

VI. Hectica Phrenitis ob mitiorem capitis dolorem, deliriumquè blandum, multos decepit Medicos.

VII. Eustachius Rudius, rudè impugnat, quod in Phrenesi ratione salua imaginatio non possit lædi.

VIII. Phrenitis non potest esse sine inflammatione membranarum Cerebri: At inflammationes membranarum possunt esse sine Phrenitide.

DE MELANCHOLIA.

Caput Decimum.

IPsus Melancholià laboro, dum implicatam eius intricationem, sicco meo ingenij pennicillo depingendi ausus suscipio, cognoscens, quod hæc etsi pœnitus secundùm omnes tàm causarum, quàm essentiæ ambages cognita, præstantissimorum Medicorum quandoquè curationis aciem subterfugerit. Etsi quidem Gal. 3. *de loc. aff. cap.* 7. eam sola victus ratione, & Balneo aquæ dulcis sanasse gloriatur, tamen non de alia, quam recente loqui potuit. Hæc sæpius claritate præstantissimas mentes pro diuerticulo postulare tentat, dum hæ Melancholico temperamento imbutę, aut in perscrutando subtilitatum intertexus, aut scopum quendam potentia earum nimium remotum attingendi, quandoquè per fas, & nefas studendo, cum fragilitatis humanæ limitum excessu, mentis quoquè excessum patiuntur, spirituum nimiam agitationem confusio, consusionem spirituum, & successiuè etiam organorum indirecta operatio, delirium scilicet, necessariò sequi debet. Cùm autem hæc delirij species, illæsa debita humorem, temperiequè disposítione Medicum stricte non attingat, dum, cùm permutata resolutione, quà fragilitatem propriam in obtinendo irrecuperabili

fine

fine conuincere laborant, permutatur & finiſter operatio. Igitur hac relicta, eam quæ ab intemperie, & humorum *diſcraſia* ortum ducit, inueſtigemus, metham debitam mihi non attingenti veniæ locus adſit, dum Melancholicus de Melancholia deliro. Cuius hæc

DEFINITIO.

MElancholia eſt imaginationis, & ratiocinationis deprauatio, cum timore, & triſtitia ſine febre, à ſpirituum animalium obſcuratione, & phantaſmate deprauato, dependens.

Differentia. Differt ſolùm ſecundum gradus, prout materia peccans ſolùm in Cerebro conſiſtit, vel per conſenſum cordis, vel hypocondrijs: Item, quæ ex infrænato amoris incendio Græcis *eros*, oritur. Dicitur etiam Melancholia errabunda, quæ plerumque Menſe Februario, patientes inuadere ſolet.

Pars affecta. *Pars affecta* in Idiopathica, & Sympathetica eſt primariò Cerebrum. Non dicitur Sympathetica, quod Cerebrum, ſed cor per conſenſum, ſicut etiam in hypochondriaca, regiones hypochondriacæ per conſenſum laborant.

Cauſa. Pro cauſa proxima accuſanda eſt ſpirituum animalium obſcuratio, quæ aut actione, in prædominantem humorem atrabiliarium excitatur, aut paſſione. Paſſione ſic excitatur. Omnes ſpiritus ſuum mediatum principium à ſanguinis vaporibus hauriunt, ſiquidem animalis à vitali, & vitalis à naturali, idem ex ſanguinis vaporibus originem trahunt. Sanguinis vapores ſi ſint atri, nigri, & (vt ita dicam) tenebricoſi, quales in Me-

lan-

lancholia videre sunt, necessariò talis consequentia introducitur, quod etiam spiritus animales, tanquam effectus à causa nigra producti, nigri esse debeant. Vnde resultat Melancholicorum timor, quia tenebrarum proprium est introducere timorem, quod satis confirmat Gal. *lib. de Sympt. causis cap. 7.* dum inquit: *Quod verò atra bilis rationalis animæ arcem occupans, timorem, mæstitiam, & mortis expectationem inducat, nihil mirandum est, dum videamus in rebus externis nil magis, quam tenebras perterrefacere. Si igitur quidpiam tenebris simile, rationali parti animæ circumfundatur, hominem semper timere necesse est, vtpotè qui semper timoris causam in corpore circumferat, quod enim nobis extrinsecùs aduenit, cum ambiens nos aer vastissimis tenebris fuerit obscuratus, id Melancholicis ab intimo corpore videtur erumpere, occupante cerebrum, vel ipsamet atra bile, vel vapore quopiam Melancholico.*

Quomodo actione excitetur in principio curationis Melancholiæ per consensum cordis, & totius dicetur.

Causa. Pro mediata causa culpandi sunt humores Melancholici, in sanguine aucti, quibus; quidam sylvestribus salibus, fœtibus vini non absimilis, (quare etiam humor Melancholicus veluti fex sanguinis nuncupatur) scatens Tartarus inhabitat, qui dum aduritur, malum hoc magna efficacia generare, nutrire, & augmentare valet. Alter hic humor modò Cerebrum solùm, modò in toto, totius corporis venoso genere exsuperat, modò Lien, vicinasquè eius partes, vel intemperie, vel obstructione laborando dispositas occupat, vnde triplex Melancholia dicitur. Huc numerandum est etiam temperamentum hominis pernitiosissimum, scilicet fri-

frigidum, & ſiccum, tàm naturale totius, quàm etiam præternaturalie Cerebri. Aer calidus, & ſiccus, vel magìs frigidus, & ſiccus, tempus Autumnale, quarè Galeno 3. *aphor.* 20. inter morbos autumnales numerabatur. Item ciborum ſalſorum, & fumo induratorum, aliorumque craſſioris ſucci, potuſquè impurioris vſus, grauia animi pathemata, conſuetarum euacuationum, ſeminis, narium hæmorchagiæ, menſium, & hæmorrhoidum oppreſſio, &c.

Melancholiæ errabundæ, arabibus *Cucurbuth* dictæ. Cauſa eſt Melancholicus ſuccus naturalis, pauliſper tamen aduſtionem, & corruptionem ſeſe inclinans, qui præterito autumno collectus in hyemis principio vires ſuas exerit, vnde hæc Melancholiæ ſpecies menſe Februario patientes viſitat.

Amoris verò inſani, qui inter Melancholiæ ſpecies non immeritò numerandus eſt, quicquid cauſa ſit, neminem latere arbitror.

Signæ Idiopathicæ.

Primogenitam Melancholiam obuelat delirium vehemens, & continuum, quod præceſſit grauis quædam animi affectio, vel vigiliæ, ſtudia, curæ, & cogitationes aſſiduæ. *Secundariam* verò detegunt delirium tantisper remiſſum idquè tamen continuum, & modò magìs, modò minus acerbum, ſigna Melancholici ſuccus in toto corpore prædominantis, ſcilicet ſi æger eſt fuſcus, macilentus, niger, hirſutus, &c.

Signæ Hypocõdriacæ.

Hypochondriaca denique cognoſcatur per delirium intermittens, dum Patientes mox ſatis hilares, mox ſine externa cauſa in mæſtitiam timoremquè prolabi proſpicimus. Item eructationes frequentes, conſtipationes diuturnæ, ſputum copioſum, crebræ incale-

leſcentiæ. Omnibus tamen hæc ſigna Pathognomonica conueniunt, vt, Timor, Mæſtitia, & Delirium. Multa tamen alia ſymptomata his coniungi poſſunt, ſi materia peccans ſpirituum animalium functionem non ſolummodò phantaſmati, & imaginationi, ſed & cœteris ſenſibus, & mutui ſacratam lædit. Vnde aurium tinnitus, & ſtrepitus; Viſus obſcurus, in quo obiecta circumrotari apparent, varius neruorum dolor, pectoris anguſtiæ, cordis palpitatio, & vigiliarum inquietudo, &c.

Prognoſticum. Melancholia ob cauſæ contumaciam, partis affectæ præſtantiam, metumvè ne Apoplexià, Manià, Conuulſione, & Cœcitate terminetur, vt 6. *aphoriſ.* 26. periculum non effugit. Principianti morbo facilè incrementum interdicitur. Spem etiam ſuperuenientes hæmorrhoides, vt *aphor.* 11. *fol.* 6.

Indicationes. Sicuti Iuriſperitorum contrariarum partium cognitam relationis ſeriem ſententia ſequatur, ita Medicus ponderata naturæ verſus morbum accuſatione ſententiam formare, & litem, quantum vires poterint, dirimere debet. Formetur ergo hoc in ſtatu tale iudicium.

Si à natura accuſatur humor Melancholicus, quod is rationalis animæ ſedem euertere conetur, primò circumſtantiarum diuerſitas indaganda occurrit. Cur, quomodo, & quo comite accuſatus humor hoc tentet? Cur igitur hoc tentet multifariæ rationes circumſpiciantur. Primò. An non ipſa accuſatrix natura culpanda ſit, dum hæc per temperamentum frigidum, & ſiccum humori Melancholico eam inuadenti anſam tradat? Secuudò. An non etiam præter hoc iniuſtè ſuccum Melancholicum accuſet, eò quod ſolũ ſpirituum

animalium vitio Melancholia accidere possit, dum ijdem animæ rationalis instrumentum, vsui nimis applicati languent, & languentes rursus à quodam graui animi Pathemate, aut concepta quadam resolutione finem quendam per possibile, & impossibile attingendi, ad operandum impelluntur, eo vsque vt confusi quasi concidant, quo delirium exsurgit; cuius exemplum Amor insanus sese clarissimè cernendum præbet. Tertiò. An præter humorem dictum, nullus alius in hanc culpam trahendus sit, dum corpora mollia, alba, rubra, quæ minimè Melancholicum humorem præ cæteris prædominantem, præseferre ostendunt, immò & biliosos Melancholia correptos fuisse experientia docet. Cæterum nil minus circa *quomodo* varia consideranda proponuntur.

Primò. An humor Melancholicus ipse per se, vel eius vapores. Secundò. An ille naturalis solùm quantitate peccans, vel à sua temperie deflectens, & aduſtioni iam iam subiectus. Tertiò. An eius salibus sy lue-stribus scatens Tartarus in causa sit. Quartò. An immediatè per inditam Cerebro attrahendi vim, qua cucurbitulæ ad instar omnes tàm quantitate, quàm qualitate peccantes humores attrahere rectissimè ab Hippocrate docetur, an verò mediatè per viscerum subiectorum *discrasiam*, & humorum Phlogosin Cerebrum inuadat? Vltimò seriò perpendendum est, quem humor hic siue sic, siue aliter peccans Symptomaticum secum habeat comitem, siue an de facto adiunctum, vel prope aduenientem. De facto adiunctorum sunt delirium, metus, tristitia, aduenientium verò vigiliarum pertinacia, grauis in membra subiecta μετάστασις,

quà Apoplexia, Spaſmus, Mania, Cœcitas, elici poteſt, vt *6. aphoriſ. 56.*

Poſt auditam cauſæ, & litis ambarum partium intricationem *teſtes*, quæ hoc in ſtatu ſigna prædicta ſunt, audiantur, ex quarum relatione totus cauſæ intricatæ nodus ſoluatur, tali ſententiâ.

Cereb$_r$i temperamentum ſi reum apprehenditur, contrarijs alterandum, ſi humor quantitate, eſt diminuendus, qualitate alterandns, fluxus ad refluxum aptetur, & euacuetur, fluens reuelatione, deriuatione, & interceptione, & etiam euacuatione impediendus, ſi vapores, niſi eos ad Cerebrum elatos natura ſpontè citiſſimè diſcutiat, arte diſcutiendi, aſcendentes prohibendi, & eis, eos aliò diuertendo ad principes partes viæ intercludendo, partes mittentes coctioni debitæ non ſufficientes alterandæ, & corroborandæ, obſtructæ aperiendæ, earum vaſa, per quæ mittunt, & per miſſionem exſiccantur, humectanda.

Curatio. Huic ſententiæ ſollicita Curatio correſpondeat, ne malum in peius, vt per prædictam metaſtaſin permutetur.

Chyrurgico fonte Galli, Pharmaceutico Germani, & *Diæthetico* Itali, vberius generaliter vti, & quandoquè abuti dicuntur, inter quos fontes Italis magis commendatus hoc in affectu omnibus præcipuè recomendetur. Siquidem Galen. 3. *de loc. affect. cap.* 7. Melancholiam ſola victus ratione, qua clarus, tenuis, & ſubtilis ſanguis generetur, & balnei aquæ dulcis præſidio curaſſe gloriatur. Huic tamen remedio cum malum ſeſe obſtinax opponere cernes, tàm apud Chyrurgicum, quàm ad Pharmaceuticum fontem appella. Chyrur-

rurgicum tamen, nisi euidens plethora, aut cuiusdam consuetæ euacuationis oppressio tibi manum impellat, non prius applica. Nam affecto primariò Cerebro non totius est habenda ratio, nisi prædictæ rationes suadeant, vt Gal. *loc. cit.* Item Aetius *ex Posidon.* Præterea etsi Plethoræ signa adsint, sanguinis emissio ex Cephalica sinistri brachij tantùm post expurgatas generalioribus primas vias instituenda est. Hæmorrhoides verò, & menses cùm sint oppressi venam in talo incidendam suadet Magnus Sennertus, primæ autem viæ appropriatis tàm ratione crassitiei attenuantibus, & tàm ratione terrestreitatis humoris Melancholici clysteribus expurgari possunt, vt

℞ *Rad. Alth.*
Polypod. Quern. ana vnc. ſ.
Malu.
Altheæ.
Trialis ana m. j.
Betonic.
Maioran ana m. ſ.
Fol. Senn. elect. vnc. ſ.

Coqu. in aq. Commun. vel iure Carnis

℞ *Colaturæ lib. j.*
Cassiæ pro clysterib. vnc. j.
Electuar. Diacathol. vnc. ſ.
Mell. Anthosat. drach. j.
Ol. Chamæmol. vnc. iij.
Salis parum. F. Clyster.

Non incongruè etiam ad expurgandas primas vias propinari potest Syrup. Rosatus, vel Violarum, Electuar. lenitiu. Cassia, Fol. Senn. &c.

Pro humoris peccantis præparatione laudatur Tartar.vitriolat.& cryſtallizatus,præparatus poſteà humor ſimilibus pro neceſſitate repetitis vicibus expurgetur.

℞ *Maſſ. Pill.de Fumar.*
Lapid.Lazul.ana drach.j.
Extract.Helleb.nigr.gr.iij.
Ol.Maioran.gutt.j.
cum Syrup.roſat.ſolutiu.F.Pillul.

Habita totius ratione, vt hæc alteretur,& corroboretur partis affectæ etiam habenda eſt ratio, ſicuti in ſequentibus videre eſt.

Duplicem tamen Melancholiam *Idiopathicam* eſſe neminem ignorat, vt vnam à temperie, aut intemperie Cerebri, alteram à craſſo,& tenebricoſo humore in eodem collecto. Tertia inde addi poteſt ſpecies, quæ à graui quodam animi Pathemate, circa quam Medici verba pluſquam præſcripta verſari debent, vt Æger ad contrariam reſolutionem perſuadeatur,quod rectè animaduertit Rhazis *lib.*1.*oont.capit.*3.*de Melanchol.* dum inquit: *Dico quod aliquando Melancholia accidat humoribus exiſtentibus bonis, & non indigent aliquâ Medicina: Et hoc eſt, ſicut quando aliquis cum auiditate cogitat de aliquo facto, & cura huius ſpeciei eſt remouere eum ab illa cogitatione, & opinione.* Igitur talis ſtatus magis exquirit verborum,quam herbarum virtutem.

CVRATIO MELANCHOLIAE per conſenſum cordis, & totius.

CVm in hàc Melancholiæ ſpecie mali origo tanquam Equus Troianus in omnes quaſi corporis regio-

regiones inimicum transmittit humorem: Quo minor oppugnationi resistendi spes, maius perditionis periculum apparet, & maior Medici solertia requiritur. Dū in hac arcis mortalitatis obsessione præcipui duo duces, *Cor* scilicet, & *Cerebrum* læsi sunt, ac in resistendi consilijs disuniti, tanquam vnus, pars mittens, & alter recipiens. Quinam autem sit pars mittens, & qui recipiens mihi non exigua dubitandi occasio offertur, eo quod spiritus animales atri, turbidi, & tenebricosi vitalibus, & mediantibus his etiam naturalibus spiritibus, & sic sic etiam sanguini suam obscuram qualitatem communicent. Sicuti sanguinis vapores crassi, atri, & tenebricosi, mediantibus spiritibus naturalibus, & vitalibus, spiritus animales sua qualitate imbuunt. Hoc dubium stimulatur, quòd existenti humorum harmonia Melancholia tamen existere possit, & eorū *discrasia* Phlogosi, & Cacochymia, Melancholia non eeistere possit, sanè hoc credere, & asserere cogor, quod in Melancholia Cerebrum, nunquam pars secundariò affecta, sed semper primariò laboret. Ad quod me adhortatur huius rei diuturnior perpensio, quòd scilicet sicuti causa manifesta grauis scilicet animi affectio phantasma deprauare potest, sin etiam in phantasmate, aut spiritibus animalibus vitium quoddam latitet, quod multi quidquam diuinum, vel etiam diabolicum esse existimant, dum eadem Melancholia affecti, futura prædicant, linguarum varietatem, extemporaneamque Poesin, & similia demonstrant, quibus illi nec docti, nec docendi fuissent, quo nimirum spiritus ipsi inuicem perturbantur, perturbatione agitantur, & agitatione inferuescunt, qua inferuescentia humor à Cerebri dispositi temperie,

aut

aut intemperie frigida, & ſicca collectus, & incraſſatus, aduritur, & ſi non citò ſuccurritur, ſenſim in atram bilem degeneratur, quæ aut per circulationis leges, aut Medicamentorum applicatorum vires, à ſede ſua reuellitur, & per metaſtaſin multi varia ſymptomata excitare poteſt: quod præſtãtiſſimorum Medicorum Praxis, quæ multos Melancholicos, Phtyſicos, Hydropicos, & Apoplecticos euaſiſſe, experta eſt, teſtabitur. Nunc per dictam circulationem materiam morbificam Cordi, regionibuſquè Hypochondiacis non poſſe communicari, nemo, niſi ipſe Melancholicus neget, adeoquè Melancholiæ affectus eſt ſemper in Cerebro primitiuus, & alijs ſympathetica dicta eſt Idiopathica, & Hypochondriaca, tanquam ſymptoma, quod ſequitur morbum, cenſenda. Nec obſtaret, quod dolores Hypochondriacos multoties ſequatur delirium. Hoc tamen delirium non ad Melancholiam, ſed aliam delirij ſpeciem referendum eſt. Plura hic referenda, quæ non tàm ad curationem, quàm ad ſubtilitatem quandam perſcrutandam ſcitu neceſſaria ſunt, ſuperſedeo. Et Curationem aggrediar. Pro qua primum ſuadeo:

Curatio. Balneum aquæ dulcis, per tres ſeptimanas, & ter in ſeptimana continuandum, cui tepido, non calido Patiens ad collum vſquè per horam inſedeat, ſub fineque caput eadem aqua aliquoties ſuperfundat. Non ſine felici ſucceſſu ab aliquo Empyrico tale Balneum ex vna parte aquæ dulcis, & alia parte ex decocto Maluæ parare vidi. Tentatà tamen, primò ſolà aquà dulci per decem dies. Balneum, dum incaſſum laborauerit, quod atra bilis morbi fomes Auctorquè ſit, manifeſtatur, quæ, dum neque πέψιν, neque πεπασμὸν, ſubit, euacuanda

cuanda eſt, quod primò Phlebotimià tentarem,& quidem per venam in talo ſectam,vt craſſiori ſanguini largiorem exitum pararem, ſolet enim quandoquè propter ſectum foramen nimiùm anguſtuosũ locò materiæ peccantis bona effluere. Præter hanc commoditatem ratio reuelationis humoris à capite, quam venæ in talo ſectio præbet, ſuadet, necnon humoris natura ſua ad inferiora, tanquam ad centrum ſuum tendentis, commodiòr euacuatio. Monet tamen Galenus, vt ſubitò, dum euacuatus ſanguis lucidus, ac tenuis appareat, venam comprimamus; At, cum quandoquè melior ſanguis in exeundo prauum antecedit, prauus etiam exſpectandus eſt. Hæmorrhoides, menſeſquè, cum præterit à Curatione eandem rationem obtinent. Dein ſæpius hirudines retro aures applicati, mali ſuccum non rarò exſugebant. Tanta inſuper quandoquè eſt extrahendi ſanguinis neceſſitas, vt niſi quaſi exhauſto ſanguinis fonte, nulla ſanitatis ſpes hauriendа ſit.

Inter ſanguinis mittendi vices pro humoribus corrigendis, & viſceribus contemperandis externo fronti, & temporibus ſomnifera humectantia, & attenuantia linimenta applica,(à fortioribus tamen ſoporiferis abſtine) intus Syrupos ordinarios, brodia,& iuſcula alterantia, ex Borragine, Bugloſſa, Cichoreo, Flor. Violarum, Endiuia, Acetoſa, Meliſſa, Capill. Veneris,&c. Poſthæc ad humorum præparationem deueniendum, nõ quod humores non cocti, aut crudi ſint, ſed quod craſſi, & terreſtres maxima contumacia reſiſtant; & ſic impetuoſa purgationis agitatione, aut ad anguſtas vias redacti, obſtructiones hinc inde efficere, aut vt Cancer exacerbari poſſint. Notatu enim dignum eſt, ſicuti ſuperius

rius monuimus, quòd per humorum Metaſtaſin varia ſymptomata oriri poſſint, quia propter eorum impetuoſam agitationem eis in varia viſcera incumbendi occaſio præbetur. Quod hoc etiam ſummoperè admonere videtur Clariſſimus Aphoriſmorum Patris ſui Hippocratis, Interpres Heurnius, dum 6. *aphoriſmor.* 56. explicando docet, materiam Melancholicam aut in neruos ſerpendo, oculos, aut aliquod aliud viſcus incumbere, grauiſſimaquè,& ægrè curabilia ſymptomata afferre.

Quare huic obnoxios Vere, aut Authumno euacuandos cum viſcerum alteratione, vt ex decocto Fumariæ, Cichorei, Acetoſæ: & Theriaca pauca,& plurima Conſerua Violacea, vel Roſacea, aut Bugloſſæ, fœdatos corporis ſuccos redintegrandos,& decocto rad. Chinæ, ſudores per plurimos dies euocandos ſuadet, quod ſuadere prudenter non potuiſſet, niſi præparationem humoris ante ſudorem eliciendum ſuppoſuiſſet. Ad hæc Galenus hæc formalia ptofert. *Hic humor difficilè excludi corpore poteſt, eſt enim quaſi terræ ſoboles immobilis, quare ſemper blandioribus remedijs tentandus erit; alioquin in rabiem vertitur, non aliter ac rabidus canis, qui non laceſſitus quieſcit, & exſtimulatur ferocit atrociſſimi.* Hæc itaquè ad blandiorum Medicamentorum pro principio vſum ſuadendum ſufficiant. Inter quæ præparantia primas obtinete ſtudet Nectar Pharinganę, quod non ſolùm Melancholiam, ſed alios morbos melancholicos, imò quartanam ipſam, quę alias Medicos fatigauit, fatigat, & fatigabit; curaſſe Auctor gloriatur, cuius hęc forma.

℞ *Epythimi.*

Fœlicul. Senn.
Borrag. ana ℥nc.ſ.
Cinnamom. drach. ij.ſ.
Caſſiæ.
Spic. Nacis.
Cardam. ana ℥nc.ſ.
Caryophill.
Zinzib.
Sem. Aniſi ana vnc. j.ſ.

M.F. Nectar. c. Vino ſubtili, cuius doſis manè Zyathus vnus. Cenſet tamen Magnus Sennertus,& non abſque cauſa,quod hoc propter humectandi inopiam,non alię Melancholiæ,quā quę non à cauſa calefaciente dependet,conuenire.Cū autem humoris pertinacia pręparantia per os aſſumpta deridet, oportet, vt præparantibus quarto die clyſteres, quæ maiori humectandi, & attenuandi vi pollēt,interponātur; vt ex Parietaria, Malua, Althęa,Mercuriali,Violaria,Branca Vrſina,Chamomil. Glycirrhit. Mellirolid. c. Melle Roſat. vel Violar. Electuar. lenitiu. Diacatholic.Oliuar.& modico Hier.picr.

Facta humorum præparatione ſemper adhuc Meſue ſententiæ inſiſtendum eſt, vt nunquam ad fortiora Medicamenta deueniamus, niſi blandiora non contulerint, fortiora igitur arripere,dum neceſſitas cogit,duo præcipuè inuicem pro obtinenda in demendis Melancholicis humoribus laurea certant, *Hellebor. ſcilicet niger*, & *Antimonium*. Quodnam alteri præferendum Medici diſcrepant, Antimonium enim vt beſtiam venenatam non ſolum modo reformidant multi, ſed pœnitus à Medicinæ vſu damnant. At ſatis ineptè; & hos etſi præſtantiſſimos, erroris grauiſſimi innocuos, non

cenſerem, niſi Impoſtorum, quorum omnes Orbis anguliſcatent, ſiniſtri effectus, quos Antimonio (dico non ritè præparato, & applicato) eos excuſarent. Cur igitur Antimonium à Medicinæ vſu abſolutè excludatur, hæc potiſſima mihi ratio apparet, vt horum barbaræ manus, à multis immaturis necibus retineantur. Cùm autem illud à pia Medici dextra præparatur, pretioſiſſima Medicinæ gemma denominanda eſt; Cur enim id, cum omni Medicamentorum genere non illud commune habeat, quod ritè præparatum ſalutem, ſecus mortem conferat, ſicut cætera Medicorum genera? Etſi quidem tantorum virorum in laudando Antimonio auctoritatem non æſtimarem, Veritas, & experientia me bona fide teſtari iubent, quod in Parauino Hoſpitali, tanquam ampliſſimo miſericordiæ, & pietatis erga paupertate, & ægritudine oppreſſos Theatro innumeros tum febribus intermittentibus, & continuis, alijſque morborum anguſtijs obſeſſos ab Illuſtriſſimo Comite Alexandro Borrhomæo ope Antimonij feliciſſime liberator vidiſſe. Sanè dum contumeliarum, quibus Vir iſte magnus, cuius prudentia tanquam cæterarum virtutum index, nullis encomijs ſatis laudanda, alijque innumeri propter Antimonij vſum proſecuti fuerunt, recordor, dolens video, quod in ſanctiſſimam hanc artem infidia ſicuti in cœteras dominetur; quippè inter omnes fermè Medicos, Morbus hic endemius, & hęreditarius, ęmulatio ſcilicet graſſatur.

Ad Helleborum quod attinet, (nigrum dico) ab albi enim, & ſi eum Petr. Salius Diuerſus *in affect. particul. lib. cap.* 19. commendet, prępareturquè liceat, quantum, & quomodo velit, tàm multorum miſera veſtigia vſu deter-

deterreant, niger verò non solummodò in hoc affectu, sed in omnibus sibi cognatis, vt Vertigine, Epilepsia, Apoplexia, Paralysi, Mania, Symptomatico Ictero, Febribus Authumnalibus, Quartanis, &c. Omnium præcipuum Medicamentum æstimetur. Siquidem biliosos, & pituitosos, maximè tamen atrabiliarios humores euacuat, vnde etiam Antimonio pro curanda Melancholia præferatur, quod multiplex experientia comprobat; à veteris tamen compositionibus abstinendum esse, necessarium duco. Huius varias ex varijs præstantissimis Medicis præparationes affert Tiermaierus, quarum hæc ex Tilemanni scriptis primas habeat, quæ singulis mensibus ad drach.j. ac vnc.ſ. Essentiæ, aut saltem salis scrup.j. cum drach.ij. Essentiæ assumpta hominem in statu suo naturali conseruat, & à morbo præseruat, ad præscriptumquè vitæ suæ terminum perducit. Cuius hæc forma

℞ *Totius Helleb. nigr. Flor. ros. lib.iv.*

A terra puras laua cum vino, contusis affunde

Vini rubri Mensur. ij.

bene tutata coquantur in M. B. per 24. horas, colatur cum expressione rursus affundatur recentibus lotis.

Helleb. radicibus contusis adde
Flor. Rosar. rubr. m.j.
Caryophill. conquassat. drach. vj.

M. digere per noctem, & diem, adde

Spiritus vini optimi drach. iij.

Digere iterum per triduum, colaturæ cum expressione adde &

Ol. Hellebort.

Ex noua planta, cum propria aqua extractum, digere

per 14. dies, in retorta vitrea exſtilla, cohobando, digerendo, deſtillando, vſquè dum omnia fuerint vnita.

Tinctura Hellebori, quam Ampliſſimus D. de Mapheis prædicto Tiermaiero communicauit.

℞ *Plant. integr. Helleb. nigr. recent.*

Contunde, deſtilla, & fœces Calcina, elicito Salem, cum propria aqua commiſce, dein

℞ *Huius aquæ lib. iij.*
Cortic. Helleb. nigr. ppt. vnc. iij.
Flor. Roſar. rubr.
Nymphæ ana M. ſ.

Elice Tincturam vaſe clauſo, filtra, euapora ad conſiſtentiam Iulapij, donec colore ſubrubeo nigro appareat, addi dein poteſt, ſi placet parum Sacchari, vel etiam Elcoſaccharum Cinnamomi, Citri, &c. doſis drach. j. vel drach. ij. Cum iuſculo, aut vino, aut ſi plenior expoſtulatur euacuatio, alijs purgantibus admiſceri poteſt. Sequitur equidem Iulapium Helleboratũ.

℞ *Hellebor. nigr.*

Eximatur medulla, maceretur radix in aceto rub. Idæi, inde exſiccetur, & contundatur craſſo modo, tanderri de hac radice ita præparata accipe vnc. j.

Fol. Sennæ vnc. ſ.
Flor. Nymph. alb. p. j.
Cinnamom. inciſ. drach. ij.

Infundantur in aq. è toto Citro,

Aq. pomor. dulc. ana vnc. vj.

Stent per noctes duas vaſe clauſo, poſteà exprime, & cola ad vnc. x. adde

Syrup. Roſat. aurei vnc. iv.
Sacchari vnc. iij.

Cla-

Clarifica, aromatiza cum Cortic. Citri.
Elidæi infusum cum sero lactis paratum
℞ *Cort. Rad. Helleb. nig. drach. j. ſ.*
Sem. Aniſ.
Fœnicul.
Citr. ana drach. ſ.
Cinnamom.
Zingib. ana gr. vj.
Paſſular. dulc. vnc. ſ.
Cum sero lactis Caprini F. infusio, ebullitio, & expressio detur, addi potest
Syrup. Roſat. ſolutiu. vel
Manna q. ſ.

Plures formas de Helleboro desiderantem ad Ioannis Freitagij Auroræ Medicinalis *lib. 2. cap. 20.* remitto. Hæc tantùm non prætereunda censeo, quod in Melancholicis affectibus plurimum efficaciæ habeant prunæ laxatiuæ, factæ cum decocto Sennæ, & Helleboro; vna cum debita corrigentium additione, aspergatur pruna etiam cum puluere Lapid. Lazuli. Item Pomi radicibus Hellebori pœnitus confixi, cocti, adiectis radiculis aliquoties ieiuno ventre sumpti, magno pro Melancholia sedenda emolumento esse possunt. Quod in ciendis menstruis, etsi antiqua suppressione pro summo Secreto habuit Præuotius.

Antimonij formas plurimas videbis apud Matthiolum, Paracelsum, Quercetanum, Caolium, Poppium, & alios plurimos. Huius solùm recordare placuit, Bezoardic. Solaris scilicet D. Sagittarij. Cuius præparationem Tiermaierus summa fidelitate nobis communicauit, *lib. 1. cap. 5. pag. 69.*

℞ Bu-

℞ *Butyri Antimonij optim. rectific. vnc. iv.*
Spirit. Nitri, cum quo Salis armoniaci drach. ij.
Rectificatæ sunt vnc. iij.
Auri fini minutissimè laminati drach. j.

Pone Aurum in Phiolam, & affunde hanc aq. Reg. tunc soluetur aurum totaliter in Spiritu salis armoniaci, tunc accipe solutionem, & iterum affunde, & parum de recenti Spiritu; rursus abstrahe, & hoc repete quinquies, postea pone Bezoardicum in Crucibulo; Calcina aperto igne, tunc exhalant Spiritus Arsenicales, Bezoardicum autem manet fixum in fundo; si ita bene sit præparatum, habebit colorem purpureum. Hoc accipe, & pone in Viola Vitrea, & affunde Spiritus Vini, maneat in digestione per vnum diem, postea iterum abstrahe, & edulcora cum aq. cordialibus, & sic præparatum est Bezoardicum Solare.

CVRATIO MELANCHOLIAE *Hypochondriacæ.*

PRædictam Melancholiæ Idiopathicæ, & per consensum cordis, & totius medendi methodum hæc species etiam circa generaliora admittit, si ea secundùm applicandi ordinem, mutetur, scilicet in prædictis curationibus preparantibus, nunc Vomitorijs initium damus, quippè cum *circa Ventriculum*, vt inquit Galenus de *loc. affect. c. 7. primo incipiunt accidentia, ijsque auctis Melancholiæ sequuntur affectiones, deinde alui deiectione, & Vomitu flatibus per inferna emissis, ructibusque leuetur is, qui laborat, hypochondriacum, flatuosumque morbum ipsum nominabimus.* Nam Ventriculi debilitate crudi humores cumulantur, qui nisi tempe-

stiuè

ſtiuè euacuentur, ad penitiores partes attracti plures obſtructiones gignere poſſunt. Alias etiam vt in prædictis monuimus ſemper primæ viæ euacuandæ, ne in remotioribus partibus per purgantia humores agitati non ſolùm in hypochondriacis, ſed in alijs venis obſtructi perſiſtant, ibiquè varia accidentia cauſent. Itaquè Vomitorio pręmiſſo, aluoquè Clyſtere laxatâ, materiam præpara, pręparatam ſenſim euacua, quod optimè peragere poſſe videtur Syrupus Chalybeatus, & Vinum medicatum Doct. Roſę; quod Nobis prędictus Tiermaierus fideliſſimè communicauit, quoquè Doctorem Roſam omnem morbi contumatiam feliciſſimè ſuperaſſe atteſtatur, adeò vt de Monacheaſi Medico, inuidia, tanquam virtutis comite ſtimulato Saliſburgum ſcriptum fuit hiſce formalibus: *D. Roſa, præter Vinum Chalybeatum, & Syrupum Chalybeatum, & Vinum Medicatum, cum Decocto Chynæ nihil aliud habet, & tamen Monachij pecuniam congerit.* Syrupus eſt talis.

℞ *Chalyb. c. Sulphure Spagiric. ppt. vnc. vj.*
Vini Hiſpanic. lib. ij. ſ.
Aq. Cichorei lib. j. ſ.

Indatur in phiolam, eiuſdemquè Orificio bellè clauſo, & pertutato digerantur in M. B. per totum octiduum, diu, noctuquè calido, & materiam ſingulis diebus fortiter agitando, & circulando, poſtea fiat puriſſima colatura, bis per manicam, aut magis chartam emporeticam repetenda, huic adde

Paſſular. mundat. vnc. iv.
Fol. Chamædr.
Fumariæ c. Florib. ana m. j. ſ.
Flor. Anthos. m. j.

Rad.

Rad. Scorzioner.
Cichorij.
Asparag.
Ruſci.
Cort. Tamariſc. ana vnc. ſ.
Grana Alkermes.
Raſ. Eboris ana drach. iij.
Xiolo alois.
Sant. Citr. ana drach. j. ſ.
Macis.
Cinnamom. ſelect. ana drach. j.
Caryophill. ſcrup. ij. ſ.
Croci. ſcrup. ſ.

Factaquè per noctem infuſione, ebulliant in diplomate, ſeu vaſe duplici per horam dimidiam continuo cum feruore, hæc cum Sacchari fini ſ. q. decoquantur ad conſiſtentiam Syrupi liquidi, & admiſceatur poſtea Syrupus de Pomis ad vnc. vj. Fiat mixtura, reſeruetur in Vitro. De hoc ſumat Patiens alternis diebus, manè ieiuno corpore tria cochlearia, in ambulando per integram horam, abſquè vlla intermiſſione ſuſcipiat, eiuſdemquè vſum continuet, quamdiu talis durabit. Alterum Medicamentum eſt Vinum Medicatum.

℞ *Lign. Fraxin. cum dolabra ad Scobem redacti m. vj. largo.*
Paſſul. mund. lib. ij. ponder. Ciuilis.

Dein

℞ *Fol. Senn. ſelect. vnc. iij.*
Herb. Scolopendr.
Chamædrios ana m. j. ſ.
Flores Borrag.

Bu-

Bugloſſ.
Anthos.
Violarum ana m.ſ.
Rad. Mechoac. nigr. vnc. j.ſ.
Polypodij drach. vj.
Fœnicul.
Aſparag.
Caryophillat.
Cort. Median. Sambuc. ana vnc.ſ.
Mirobal. Citr. drach. ij.ſ.
Ind. drach. j.ſ.
Rhabarb. opt. drach. iij.ſ.
Agaric. Trochiſc. drach. vj.ſ.
Carthami contuſ. prius per aquam probati vnc. j.
Sem. Aniſi.
Zingib. alb. ana drach. ij.
Cinnamom. elect. drach. j.ſ.
Squinanti ſcrup.ſ.

Incidantur, & miſceantur ad vſum ſequentem. Lignum, Paſſulæ cum iam ſcriptis ſpeciebus indantur in dolium ligneum capax lib. xviij. præcisè vt F.ſ.ſ.ſ. poſtea repleatur vas vino generoſo, & reſeruetur in Cella, vt abſquè turbatione, ſen motu tranquilli iaceat.

Tertiò poſt infuſionem die auſpicetur Patiens bis in die vini huius vſum, diebus intermedijs, quando nimirum Syrupo ſupraſcripto non vtitur, manè quoquè ieiuno Ventriculo bibat de hoc vnc. iv. tepidè, & hora vna poſt elapſa, offam iuſculatam ſumat. Hoc Vinum Corpus per Epicraſin lentiſſimè mouet, atquè materiam peccantem, tanquam Melancholiæ cauſam in corpore totius Meſenterij glanduloſo, vti & in ſplene, hepate, reliquiſquè viſce-

ribus latitantem, & per Syrupum Chalybeatum præparatam, atquè inciſam blandè euacuat. Si æger largiorem euacuationem deſiderat, hora tertia veſpertina repeti poteſt.

Interea exiſtente Plethora, Hepatiſquè caliditate pro corporis ventilatione, qua Medicamentorum vſui magìs aptatur ſanguis, & præcipuè per Hæmorrhoides educendus eſt; quas ſi natura non aperire tentet arte, aut hirudinum applicatione, vel quoquo modo ſollicitetur: quo remedio omnibus cæteris incaſſum adhibitis *Melancholia* ſæpius curata fuit.

Cæterum cum humoris pertinacia non aliter, niſi lenta, & diuturna præparatione, & euacuatione perfringenda ſit, facilè iudicandum eſt, quod viſcerum præcipuè ventriculi, qui iam in morbi principio debilis erat, ob tot aſſumendi Medicinas repetitas vices, quaſi exhaureretur tonus, niſi Medicamentorum vſui confortantia, & corrigentia immiſcerentur. Itaquè ad ventriculi corroborationem, coctionis adiuuamẽ, flatuumquè diſcuſſionem frequenter vſurpetur *Diatrion, Pipereon, Dia. Galang.* Sem. Aniſi, Carui, & Delicatulis Aromaticum roſatum. Multi etiam *abſynthium* in vino generoſo maceratum commendant. Attamen nimia eius adſtringendi vis, quæ humores crudos ad concoctionem non permittit, & in ventriculo detinet, non adeò comprobat; etſi quidem bilem maximè abſtergeat. Nõ ſolùm ventriculo, & hypochondrijs per os aſſumpta, ſed etiam per externo adhibita prouidendum eſt; vt ad roborationem Ruta, Anetho, & ad flatuum diſcuſſionem Abſynthio, Pulegio, Origano, Sem. Aniſi, Cumini, in ſacculo conſutis, & in aqua, vel oleo decoctis, ventriculi, & hypochondriacorum regiones inungantur.

Ven-

Ventriculum adiuuans, non obliuiſcaris Cordis, & Cerebri, quæ magna etiam roboratione indigent, quæ talis aqua eſſe poteſt.

℞ *Aq. flor. Borrag. in B. M. deſtill. vnc. v.*
Cinnamom. vnc. ſ.
Margarit. ppt. drach. j. ſ.

M. in mortareo marmoreo F. liquor potabilis inſtar emulſionis.

Deniquè poſt factam totius expurgationem Balneo aquæ dulcis, in qua Malua, Fœl. Viol. Althæa, Branc. Vrſin. & ſimilia coquantur, curationi finem imponas.

DE MELANCHOLIA ex Vtero.

ALia huius Melancholiæ gemella eſt *Melancholia ex vtero*, quæ Virgines ad nuptum maturas, & Viduas iuuenes inuiſere amat, ſiquidem Virgines nubiles nimio nubendi, Veneriſquè dapes guſtandi deſiderio, & exſpectatæ diu dulcedinis apprehenſione, ſanguinem quaſi ebullire faciunt, & ad vterum intempeſtiuè propellunt, qui, dum oſculi exitum adhuc concluſum inuenit, ibiquè augmentatur, neceſſariò corrumpi, & in ſuperiores venas regurgitare debet, quo plurima eaquè diuerſa mala excitantur. Viduæ verò iuuenes, aut ob deperditi guſtus mœrorem ſanguinem Melancholicum cumulant, cuius craſſities venas vterinas obſtruendo, menſtruam purgationem impedit; quà impeditâ Melancholia promoueri poteſt, aut quia Vaſa ſeminaria Cambij ſuperabundantem, aut etiam ipſo Cambio dedicatam materiam pro ſemine elaborando

ſugere, & attrahere conſueuerant, cùm autem elaboratum ſemen, & per cõtinuam attractionem augmentatum propter ablatum mariti coitum in vterum nõ eiaculatur, putreſcens malignamquè qualitatem aſſumens, præter Melancholiam multi varia etiam ſymptomata miſerabili fœminarum ſexui emoliri poteſt, quippè ſi natura aut in ſemine elaborato in vterum eiaculando, aut menſtruam purgationem iam inchoatam continuando, & non inchoatam tempeſtiuè promouendo, ſuo non ritè fungitur officio, varia morbo in deuotum hunc ſexum irruendi arma opitulatur, nam vterus eſt præcipua mulierum tàm deliciarum, quàm etiam miſeriarum ſedes, & rarus eſt earum morbus, qui non ex ea ſuas radices trahit. Hippocrates paucis hunc morbum deſcribit, dum *libro de Morb. Virginum*, inquit. *Virgines nubiles, & maturè Viro hoc magis patiuntur, vna cum menſium diſcenſu, antea non valdè his affectæ. Poſtea enim ſanguis in vterum confluit, velut i eſt luxurus. Cùm igitur oſculi exitus non fuerit apertus, ſanguis autem amplius influxerit, & propter cibos, & corporis augmentum, tum ſanguis non habens exitum, reſilit ad cor, & ſeptum tranſuerſum. Cùm igitur hoc repletum fuerit, cor fatuum ſit, deinde ex fatuitate torpedo, poſtea ex torpedine delirium, apprehendit.*

Hàc Melancholiæ ſpecie, præter communia, & Pathognomonica ſigna, timorem ſcilicet, & mæſtitiam, ſuperueniente quandoquè riſu, quandoquè fletu, dolorum variorum præcipuè circa cordis regionem conquæſtione, ſolitudinis deſiderio, ſomnijs tumultuoſis, aluo, & menſibus omninò ſuppreſſis, aut ſolitò parciùs fluentibus cognita, Prognoſticoquè ob Maniæ immi-

nentis

nentis periculum periculosè formato.

Indicationes consulendi sunt, quæ sanguinis abundantiam imminuere, & euacuare, humorem Melancholicum præparare, & excludere, sanguinisquè circa vterum congestionem impedire indicent. *Indicationes.*

Quibus prædictis curationibus satisfacies, si solummodò vires Medicamentorum medendorum viribus adæquas, nam mulierum debilitas Medicamentorum vires cum Viris non supportare valent. Dein sicuti in prædictis Cerebro, & ventriculo præcipuè consulimus, nunc vterum respiciamus Medicamentis tamen minimè siccis, quibus humor Melancholicus exasperari, quo dein per inditam sibi siccitatem, & frigiditatem habitualis frigiditas, & siccitas Cordi, Cerebro, totiquè corpori induci queit.

Diæta super omnes *Melancholiæ* species. *Diæta.*

Ex curationis primæ exordio patet, Diætam ad huius affectus defectum rigorosissimè requiri, quæ sanguinem purum, & tenuem generando existentis humoris crassi vitium emendet, igitur ea assumenda, quæ præter concoquendi facilitatem, succi tenuitatem, & distributionis celeritatem, calefaciendi, & moderatè humectandi vi præditi sunt, vt Pullorum, Gallinarum, Caponum, Agnorum, Vitellorum Carnes, Oua sorbilia, ex oleribus, Borrag. Bugloss. Lactuc. Endiuia, ex fructibus Pineæ, Pistacca, Ficus, Amygdal. Cùm verò Hepatis caliditate atros humores generando morbus fouetur, refrigerantia, & humectantia, vt Iuscula ex hordeo exiguntur. Potus sit vinum maturum, vel Cereuisia pura triticea. Vitentur omnia, quæ supra suasis contraria sunt. Somnus vigilias excedat. Curæ non curentur,

sua-

ſuauibuſquè colloquijs, immò quandoquè Muſicà mœſtitia depopuletur.

COROLLARIA.

I. HElleb. nigr. & Antimonium præparatum, ritequè admotum, iniuſtè multi contemnunt.

II. Inter animi Pathemata ad mentem peruertendam amore non fortius; vnde Poeta:

Crede mihi, ſtulto nemo in amore ſapit.

III. Æſtas calida, & ſicca humores adurit, & bilem generat, quæ ſuperueniente Authumni frigiditate impedita craſſa, & adusta in Melancholiam degenerat; vnde Quartanæ Authumno familiares.

IV. In omni Melancholia cordi maxima eſt habenda ratio.

V. Antimonium ſi cœcitatem induxerit, reiteretur, & cœcitas euaneſcet.

DE MANIA.

Caput Vndecimum.

SIcuti cineribus obductus ignis exſuſcitari, & elucescere non poteſt, vſquè dum cineres aut ab ignis nimio perrumpendi conatu, aut externò remoueantur. Sic etiam ſpirituum animalium ignis cineribus (dico humoribus melancholicis) obductus, vt in *Melancholia* ſuas vires tantummodò obſcurè, lentè, & ſine ferocia exerit. Vnde melancholicorum obſcuræ conditionis ratione timor, & mœror. Cùm autem aut ſpirituum efferueſcentia intenditur, humorum melancholicorum cineres perrumpit, & efflagitat, aut Medicamentis plus humorum diſcuſſioni, reuellationi, & euacuationi, quam ſpirituum incendij deletioni aptatis repelluntur, ignis egurgitat, & ſicut Ætna circumadiectas regiones,

ille ſpiritum vitalem, qui per omnes corporis meatus, tanquam Phlegeton ruit, incendit. Vnde Maniacorum præter tantum internum incendium, vt ſeueriſſimas hyberni frigoris iniurias, etiam veſtibus exuti in clauſtrorum frigidiſſimorum ſtramine ſeſe voluentes non ægrè ſufferant, tantus furor, & rabies, qua non ſolùm ſibi ipſis violentas inferunt manus, ſed & adſtantes ſine vllo vel inimicitiæ, vel etiam prius ſolitæ amicitiæ reſpectu inuadant. Mania itaquè nihil aliud eſt, quam Melancholiæ intenſio, nec obſtat, quod quandoquè Mania ſine præcedente Melancholia exſtiterit, nam hoc accidit, quando ſpirituum efferueſcentia, vno impetu ſuas euomit flammas, quas ſæpius ſucceſſiuè mediante Melancholia exſpuit.

DEFINITIO.

Mania eſt deprauatio functionum principum cũ furore, & audacia, primò à ſpirituum animalium, demùm etiam vitalium accenſione dependens, ſine febre, & memoriâ quandoquè ſaluâ.

Partem affectam ſolùm eſſe Cerebrum, multi aſſerunt, at impoſsibile videtur, quod tantus calor præternaturalis per omnes corporis ambitus diffundi poſsit, niſi ſpiritus vitales ab animalibus accenderentur, hiſquè accenſis, Cor neceſſariò afficeretur. *Pars affecta.*

Multi varia deliria huc referunt Authores, quæ tamen, dum ab aliena cauſa dependent, eſſentialiter huc redigi non poſſent, niſi delirij, ergo. Quod omnium horum proximè recenſendorum obiectum eſt. Vt Lycanthropia, Kynantropia, Galeantropia, rabies, ſeu inſania *Differentia.*

sania lupina, canina, felina, rabies ex morsu canis rabidi, hydrophobia scilicet. In his homines in Lupos, Canes, Capras, Feles, & similia mutatos credunt. Dein *Mania* à *Melancholia* ratione vehementiæ graduum, à *Phrenitide* ratione febris, inter se demùm ratione magis, & minus differt.

Causa. *Causa* coniuncta, & proxima est spirituum animaliũ feruens, & ignea quasi constitutio, ab *antecedente causa*, scilicet Cerebri intemperie, calida, & sicca proueniens, modò sine, modò cum materia, vt à vaporibus adustis, bile atra, vel adusta, succo melancholico adusto, seu sanguine feruente, vel in Cerebro orto, vel huc transmisso, vel attracto, ibiquè solùm, vel in omni venoso genere stabulante, vt Aristoteles inquit, 2. *par. Anat. 7. Delira contingunt cerebro supra modum sicco, quia non refrigerat ascendentem sanguinem.*

Hi autem humores nec inflammando, nec etiam putrescendo delirioſos excitant furores, quia incalescentia, & fermẽtatio non in ijs, sed spiritibus consistit, vnde Mania sine febre, sed bilis flaua, atra, adusta, succusquè Melancholicus adustus, sibi indita mordendi facultate spiritus irritare, & mouere possùnt; quo delirium expergisci potest, teste Hippocrate 2. *de Morb.* sic assetente; *Desipit homo, cum sanguis in capite à bile, aut pituita calefactus, & plus solito commotus fuerit.* Docet quidem ille: Desipientiam etiam à pituita fieri, haud tamẽ cum Mania omnes desipientię species confundendas esse arbitror, Plato quoquè Sapientiam in sicco habitare refert, moderatam vbiquè siccitatem præsupponẽs. Nam Aristoteles 2. *part. anat.* 2. *Vim sentienti*, inquit, *& intelligendi obtinet pleniorem sanguis tenuior, & frigidior.*

Du-

Dubium ſanè non effugit, quod ſentiente Platero, prædicti humores alias putredine, & inflammatione carentes, tàm atrocia, & enormia deliria, ſuſcitare non poſſint, niſi præter *mordacitatem*, qua *Epilepſia*, & *motionem*, qua *Melancholia* magìs induceretur, quædam maligna, occulta, venenataquè qualitas eis immixta eſſet. Vltrò non exigua dubitandi occaſio elucet, dum hi humores omnes in cauſa Melancholiæ eſſe poſſint; Cur in *Melancholia* timorem, & mæſtitiam, nunc autem audaciam, & tantam ferocitatem cauſent? Manifeſtè enim in præcedenti capite de Melancholia monſtratum, Auctoritatèque Galeni, & Natura ipſa efficaciſſimè confirmatum, approbatumquè fuit, *mæſtitiam, & timorem* ex prędictorum humorum craſſitie, & tenebricoſitate oriri. Ergo. Si oppoſitorum oppoſita eſt ratio pro cauſanda iſta Maniacorum audacia, neceſſe eſt, vt loco iſtius tenebricoſitatis, & craſſitiei, luciditas in hiſce humoribus regnet, nam naturaliter vmbra terret, & lux animum facit, vel quod ſit bilis tenuis, vel quod primò ſpirituum animalium, demùm etiam in conſenſum tractorum vitalium ferueſcentia quaſi in flammas abeat, quæ totius corporis cruorem (vt ita dicam) ebullire faciunt, quorum feruor in Melancholia ab humore Melancholico propter frigiditatem, tanquam cineribus frigidis ſubductus in flammas abire impeditur. In *Mania* autem, dum ſanguis, vel bilis ad Cerebrum diſpoſitum, ſcilicet calidum, & ſiccum eleuatur, igni ignis apponitur, & ſic maius incendium excitatur, in Melancholia verò, dum Melancholicus humor à Cerebro prædicto modo diſpoſito attrahitur, ſpirituum feruorem humor Melancholicus, propter adiunctam ſic-

citati frigiditatem compescit.

Chymici, inter quos primò Paracelsus *lib. de Morb. ament. tit.* 1. *cap.* 2. iam vapores, iam spiritus vitæ opilationem, iam Mercurij à calore nimio sublimationem, & reuerberationem, alij etiam splenem accusant; Galenici, inter remotas Maniæ causas recensent consuetarum euacuationem oppressionem, Hepar calidum, Aerem calidum, æstiuum, vel etiam Authumnalem, siccitate, præter caliditatem pollentem, vehementem animi affectionem, vigilias, curas, sollicitudines, studia immoderata, amorem infrænatum, fistularum, & vlcerum antiquorum intempestiuam occlusionem, lochia retenta, variorum animalium sanguinis, vel lactis potionem, eorumquè rabidorum morsum, vt refert VVeinrichius *lib. de Monstr. cap.* 15. VVratislauiæ puellam Epilepticam ex suasu Agritæ felis sanguinem hauriendo, naturam felis adeò imbibisse, vt saltu, gestu, muriumquè captu felem pœnitus imitauerit. Idem alium suilli sanguine pastum in luto sese peruoluendo delectatum fuisse recenset. Item venena, & Philtra, de quibus Poeta:

Philtra nocent animis, vimquè furoris habent.

Dœmoniaca vis cum humanitatem excedit huc referri non debet.

Signa imminẽtis Maniæ. Imminentis *Maniæ* furias sæpius prænuntiare solent. quæ & multorum aliorum malorum Prodromi sunt, vt capitis grauitas, aurium tinnitus, mentis in aliquod propositum nimia applicatio, consuetarum euacuationum suppressio, oculis obseruantes splendores, leuis ad iram commotio, &c.

Signa præsẽtis. Præsentem verò hæc signa Pathognomonica prædicant,

cant, vt imaginationis, & ratiocinationis deprauatio, & audacia, nihil minus hæc Epigenomena, vt memoriæ deperditio, vigiliæ, iniurgia, iracundia, oculorum rubedo, eorumquè in adstantes toruus aspectus, arrogantia, ex qua Helmontius in demente Idæa *tit.* 137. Maniam hæreditariæ dispositioni adscribendi sumpsit occasionem, in Mania, inquiens, inuenio egregiam arrogantiam, immortificatam passionem assumendo socialem, quæ & in vitam perseuerat, & in suos nepotes traducta elucet, quia Idæa amens penetrauit spiritum insitum, vnde semen violat, genitalis facta.

Prognosis.

Nec vmbra cuiusdam rationis apparet, qua huius mali Prognosis *simpliciter* non funesta dicatur, etsi acuta non sit, peius est dum in menses, immò Annos patientes cruciat, pretiosissimoquè rationalis adamante, quod ijs similitudine propinquissimi, eoquè adempto cum bestijs conuenimus, priuet, quod si ars, aut natura restituit, morti restituendum relinquitur, quæ in propinquo est, quando Maniacis vel conuulsio, vel cum tussi raucedo superuenit, quippè conuulsio extremam hac ex parte Cerebri siccitatem, summamquè bilis acrimoniam, tussis, vel inflammatoriam dispositionem, vel humoris peccantis in pulmones, & arteriam magnam, decubitum denotat. E contrà magnam salutis spem affert Hippocrat. 5. *aphor.* 40. *Si Dysenteria, Hydrops, vel Ecstasis ab insania proueniat*, item 2. *aphor.* 10. *Quibus ex timore, cum per frigeratione vehemens insania mouetur febris cum sudore, & somnus quietus solutionem adferunt.*

Signum est materiam morbificam à natura per crisin conuictam sedem suam permutasse, etsi quidem per Metastasin alijs visceribus incumbat, arte, facili negotio

tio pœnitus pellitur. Quippè natura materiæ peccanti iam arma depoſuit, eamquè ad euacuationis vias protrudendo Artis, tanquam eius imitatricis manibus ad plenam euacuationem conuictam tradidit. Item 6. *aphor.* 12. Si inſanis Varices, aut Hæmorrhoides ſuperuenerint fit Maniæ ſolutio. Vt hæc ſoluatur,

Indicationes. Indicatur vt primariæ cauſæ ſpirituum, nempè igneę conſtitutionis ſecundariam habeamus rationem, & cauſæ ſecundariæ primariam, vt ſimilis ſcilicet humor, qui ſpirituum ignem fouet, remoueatur, nam incendium exſtingui nequit, etſi ex vna parte mitigetur, ex altera vero inſtigatur, itaquè huius humoris habenda eſt ratio, vt is poſt factam præparationem euacuetur. Intemperies deinde, & diſpoſitio illa ſpirituum alteretur, Cerebrum, Cor, Hepar, Lienquè ſollicitetur, & Symptomatum furiæ impediantur.

Curatio. Vt hos incendium deleatur, ante omnia requiritur ſanguinis extractio, quæ ſæpius ſeptuageſies diuerſis in locis inſtituta, cœtera præſidiorum genera eluſit, ægrumquè ſola Voti rationiſquè compotem reddidit, vt Platerus, alijque multi experti ſunt, quæ ex obuijs quibuſcumquè venis mutatis vicibus cietur, Hæmorrhoides, & menſes arte ſi non à natura promoueantur. Frontalis malo contumaciori etiam aperiatur, nil minus temporibus, & retrò aures hirudines applicetur. Sanguinis enim extractio tàm reuellationis à Cerebro, tàm & refrigerationis, & deriuationis agit vices, ſi tamen emanans ſanguis rubicundus apparuerit, parciùs, ſi niger, liberius emittas. Clyſterem ſi æger perſuaderi poteſt non incongruè præmitteedum duco. Sub his humectantibus, & refrigerantibus, humorem præpara, vt

Borra-

Borragine, Bugloſſa, Nymphæa, Lactuca, Acetoſa, Endiuia, Scariola, Portulaca, Sem. frigid. &c. His ſæpius diuque repetitis talis purgatio inſtitui poteſt.

℞ *Pulp. Tamarind. vnc. ſ.*
Cort. Mirobal.
Citr.
Indor. ana drach. j.
Rhabarb. elect. drach. ij.
Mann. elect. vnc. ij.
Fol. Senn. ſ. ſt. vnc. iij.

His omnibus ſuperaffunde aquæ Fumariæ bull. vnc. v. ſtent infuſa per noctem, mane in Colatura, forti expreſſione facta, diſſolue

Oximellit. Helleb. mai. Iuliani,
Syrup. de Pomis Regis ſaporis ana vnc. ſ.
Confect. Hamech. drach. ij.
Ol. Macis gutt. v.
Cremor Tartari ſcrup. ſ.
M. F. Potio.

Quam ſi æger reſpuit, ſequentes pillulas propinare conaberis.

℞ *Extract. Helleb. nigr. ſcrup. ſ.*
Pul. Syrij, gr. vij.
Flor nitri gr. iv.
Extract. Pill. Cochiar. gr. xij.

f. ſ. q. Syrup. de Succ. Fumar. F. Pil. N°. vij. pro vna doſi. Si æger nec ad hos ſumendos perſuaderi poteſt ℞ Ben. arabum gr. ij. & cibis immiſce. Vel

℞ *Mercur. rub. præcipitat.*

Ex quo S. V. ſexies, vel ſepties per deſtillationem extractus fuerit gr. v. & fac prædicto modo.

Poſt

Posthæc ad alterantia redeundum, vt

℞ *Aq. Nymphææ.*
Portulac.
Endiu.
Suc. pomor. redolent. ana vnc. iv.
Syrup. Flor. Nymph.
de Portulac. ana vnc. ij. ſ.
Spiritus Vitrioli q. ſ.

M.F. Iulapium in 4. vicibus ſumendum.

Aliæ aquæ præparantur, quæ præter alterationem Cor, Cerebrumquè roborant, ſanguinem mundant, & ſpiritus quietos faciunt, vt ex Roſis, Violis, Bugloſſa, Borragine, Nympleæ, Flor. Tunicæ, Meliſſæ, Scorzoner. Confect. de Hiacynth. Alkermes, &c. Interea vigilijs obſtes, vel Pedi lauijs, quæ cum ſomni prouocatione humores quoquè diluunt, vt ex capite papaueris, Saluia, Lactuca, &c. Vel Emulſionibus ex ſeminibus frigidis, & ſem. papau. alb. &c.

Balneum aquę dulcis ex decocto Hordei pro humoris contemperandi neceſſitate, quoquè non intermitterem, nec non frequentibus clyſteribus, vt ex Cremore hordei, & melle Mercuriali, aluum laxam retinere negligerem.

Victus ſit humectans, & refrigerans, ſæpius propinentur Iuſcula, in quibus Lactuca, Acetoſa, Endiuia, &c. Bulleuerint. Elixa aſſatis præponentur, v. g. Caro Vitellorum, pullorum, gallinaceorum; item Piſces pluuiatiles, oua ſorbilia, prũna, Cremorem hordei, pyta, ceraſa, perſica, omniaquè, quæ refrigerio eſſe poſſunt, eligantur, ijſquè contraria vitentur, vt Allium, Amygdalæ, Legumina, Cepæ, Porcum, Raphanus, dulciaquè,

quæ

quæ facilè bilescunt. Potus sit decoctum Hordei cum prunis, & radice Acetosæ syluestris, Passulis, & Cerasis siccis. Vinum Aristoteles *sect.* 3. *probl.* 16. dum furiosos reddit, interdicit. Locus sit obscurus, moderatè frigidus, nec armis, nec picturis, nec etiam nimio populo, præcipuè inimico frequentatus. Adstantes omnem offendendi Patientem vitent, & exhilarandi quærant occasionem.

Quæstiones.

Quæres, Ex qua causa Maniaci, & etiam Melancholici extemporaneam Poèsin recitent, alienis linguis loquantur, futuraquè quandoquè prædicent. Dum futura prædicere diuinum sit, & extemporanea Poèsis, linguarumquè diuersitas, instructionem, & industriam, quam Maniaci, & Melancholici nunquam subiuère, exigit.

Resp. cum Zeilero *in parte prima*, *Epist.* 2. Paulo Æginetta *lib.* 3. *de re medica*, Alexandro Tralliano, *lib.* 1. *tit. de Melancholia*, & secundùm id.

Est Deus in nobis, agitante calescimus ipso.

Dico hoc solùm, aut Diuinæ, aut Dœmoniacæ vi adscribendum esse, contra quam responsionem

Obijcies. Hoc naturaliter accidit. Ergo non supernaturaliter, & ex Diuina, aut Dœmoniaca vi.

Probatur antecedens auctoritate Platonis *in phoed.* dicentis: Scientiam nostram reminiscentiam tantùm esse in ipsis animabus antea latitantem: quod sic declarat Lemnius *cap.* 2. *de occult. Nat. miraculis. Mens siquidem*, inquit, *Hominis omnium rerum scientiam, ac motionem, in seipsa complectitur, sed mole corporis, densisquè humoribus oppressa, non facilè eluescit, eò vt ignis cineribus obductus exsuscitari, fouerique postulat, quo se profe-*

rant

rant ingenti nobis igniculi, naturaquè lumen reſplendeat. Si quando igitur diuina hæc potiorquè hominis pars anima concutitur, morbiſquè exagitatur, ea profert, quæ in intimo receſſu latitabant, inſitaſquè vires palàm exerit. Ergo. Naturaliter ſecundùm hæc fieri poteſt.

Reſp. Negando antecedens, ad ipſius probationem dico, eam nec pietatis, nec etiam rationis fundamento inniti, & dicti ratio hæc eſt, quod ſcilicet nec pietatis fundamento innitatur, apparet ex abſurda illa ſequela, quæ Lemnij ſententiam cõſequeretur, quod ſcilicet anima ante corporis compoſitionem exiſtere, & ab antiquorum corporibus in noua corpora reduci poſſit, cõtra inexpugnabilem ſententiam D. Thomæ *par. 1. quæſt. 118. artic. 3.* quod anima à Deo creetur cum corpore, & ab ea affundatur, abſoluta nimirum eius conformatione. Quod inſuper omnis rationis expers ſit, ex eo patet, Cur enim impuri, morboſi humores, & non perfecti, hunc effectum æquè in corpore ſano elicere poſſint. Inſuper Diuinitati, & etiam Naturæ prouidentiæ repugnat, nam numquid Deus, & Natura, quorum neuter nihil fruſtra facit, animam fruſtra omniſcientificam creaſſent, ſi eam, vt ſic creatam tali corpore veſtiendo à prima indita virtute impedirent.

Vrgeo ſecundùm Gvveinerum *loc. cit.* præter prædicta Planetæ impreſſioni, qui natiuitatis tempore, animæ infuſioni præſidebat, adſcribit, cuius impreſſioni tanta vis ſit, vt animam ſtellis ſimilia efficiendi, donat poteſtate, faciendi ſcilicet ex ægro ſanum, ſanoque ægrum, &c. Quam poteſtatem iam in Melancholia, dum ſenſus corporis ligati ſunt, anima perfectius ſibi communicat. Ergo ſecundùm huius auctoritatem, & ratio-

tionem naturaliter fieri poteſt.

Reſp. Hæc primo intuitu multum veritatis in ſe continere videri, ſi maturam dein contemplationem attingit, quis Aſtris linguarum alienarum, futurorum præſcitiam, & peritiem tribuat, quod Deorum ſolù m eſt? Dum multi dubitant, an Aſtrorum influxus ad mutandum temperamentum quidquam poſſit. Dein nulla ratio euincit, Cur Aſtrorum virtus non æquè in corpora ſana, quam morboſa ſeſe exerat, dum neque Maniaci, nec etiam Melancholici à ſenſibus corporeis abſtrahantur.

Vrgeo 2. Natura Melancholicis *ingenij virtute* præ cæteris excellere quotidiè experimur, ſi itaquè Melancholia augetur, augetur & virtus, ſed in Melancholia Melancholicus ſuccus maximè abundat, ergo abundabit & virtus, quæ ad ſimilia diſponit, ſicut enim vinum æquo plus hauſtum hominem immutat, ſic etiam Melancholia in homine plus acuta virtutem Melancholico, cæteris hac in parte inditam maiorem auget.

Reſp. Equidem concedendo Melancholicum temperamentum cæteris maiorem iudicij, ingenijque virtutem obtinere, & ſubinde altiſſimas humanæ poſſibilitatis inſcientijs apices attingere, humanas tamen limites excedere non poſſe, quippè futura præſcire, & prædicere, alieniſquè linguis, quarum nulla inſtructio facta fuit, loqui Diuinum eſt.

Vrgeo 3. Auctoritate ipſiuſmet Ariſtotelis 7. *eodem cap.* 14. Melancholicos δἰ ὄνειρος, ideſt recta habere ſomnia inquit. At hoc non aliud vult dicere, quam quod Melancholici prædictam virtutem habeant, ergo, &c.

Resp. Distinguendo Aristotelis sententiam, si Aristoteles, cum Io, *rectè habere somnia*, intellexit ingeniositatem, concedo Maiorem, si intellexit humanam facundiam, excedentem suas limites; nego Maiorem, & sic distincta minore, nego consequentiam.

Vrgeo 4. Si dependeret à supernaturalitate, id est, aut à Diuina, aut Dœmonica virtute, non posset à naturalitate, humanaquè Medicorum scilicet virtute superari, sed humana potest virtute superari (vt experientiâ multiplici habemus,) ergo non dependet à Diuinâ, nec à Dœmonicà virtute.

Resp. Distinguendo maiorem: si à supernaturalitate dependeret, non posset à naturalitate superari, auferendo causam scilicet Diuinas, aut Dœmonicas virtutes. Concedo maiorem. Non potest superari auferendo subiectum, in quod Diuina, vel Dœmonica virtus agit, scilicet Melancholiam superabundantem, quam Veteres Balneum Diaboli appellarunt. Nego maiorem. Et pariformiter distincta minore. Nego consequentiam.

Potuissem etiam auctoritate Codrũchi *lib.2. de morb. venenat.* & Leonhardi Vaxij *cap.8. lib.3. de Fascino*, absolutè negare, siquidem illi mirabili quarundam herbarum virtuti hæc efficiendi potestatem adscribunt.

COROLLARIA.

I. SAnguinis missio si hic non conferat, signum est bilem adustam causæ prædominium possidere, quo detracto sanguine, tanquam eius humore diluente, efferatur.

II. Sanguis supra modum exsuperans simplices, & stolidos, Pituita pigros, & ignauos, Bilis præcipites, Succus Melancholicus; cum Bile, & Sanguine calidiore permixtus, sapientissimos, & ingeniosissimos efficit homines.

III. In-

III. Ingenioſi dociles, promptè reminiſcuntur, & memoria non pollent.

IV. Humidum Cerebrum, ingenium acutum, durum verò, tardum facit.

V. Corpus humidum exſiccare facilius, quam humectare ſiccum.

DE LYCANTROPIA, ET HYDROPHOBIA.

Caput Duodecimum.

HI affectus omnes, dum duplici conſideratione ſubiecti ſunt, ex vna tantùm parte Medicam conſiderationem attingunt, verbi gratia, Lycantropia duplex eſt, vna, quæ à Dœmonum præſtigijs, quæ Medicam renuit, alteram aut à ſanguine brutorum hauſto, aut à ſanguine proprio craſſo, & aduſto, in Cerebro, aut in toto corpore ſuperabundante, quæ Medicam maximè reſpicit conſiderationem.

Eſt autem is affectus talis, in quo Patientes in lupos mutatos fuiſſe credunt, quod reuera non eſt, nec ſecundùm Auguſtinum *lib.* 18. *cap.* 18. *de Ciuit. Dei.* Vbi abſurdum omniquè rationi alienum eſſe dicit homines in lupos mutari poſſe, nec ſecundùm Plinium *lib.* 8. *natur. hiſt. cap.* 6. nec etiam ſecundùm Herodotum *lib.* 4. fieri poteſt. Poſſibilitati enim ſecundùm omnes Philoſophos repugnat, quod forma ſibi in diſpoſitum corpus informare poſſit.

Huius affectus cura, totaliter quaſi cum Melancholia conuenit, eum autem cognoſces ex ea opinione, qua in lupos homines conuerſos fuiſſe ita apprehenduntur, vt hominum conſortia fugiant, ferarum anthra frequẽtent, ſyluas procurrant, gregem, & homines inuadant,

eosquè dentibus omnem lupi rabiem imitando dilacerare conatur. Solet etiam secundùm Hippocr. 3. *aphor.* 20. hic affectus præcipuè Februario, vel Martio suas depromere vires.

Hydrophobia non solùmà Canis rabidi, sed plurium aliorum animalium morsu, & interdum etiam à veneno in corpore nostro genito contingit, quorum exempla Petrus Salius *de affectibus particularibus cap.* 19. & Salmuth. *cap.* 2. *obseru.* 52. recensent.

Hydrophobia itaque est rabiosa mentis perturbatio, sæpè cum delirio, & semper liquidorum omnium præcipuè aquæ abominatione, à veneno, aut ab alio animale morsu communicato, aut in proprio corpore genito dependens.

Hunc affectum si ritè circumspiciamus duorũ obiectorum, canis scilicet rabidi, & hominis ab eo morsi, secundùm causas, & signa cognitionem habeamus.

Causa procathartica. *Causa* itaque antegressa est, carnium putridarum, præsertim fulmine tactarum, aut morsu venenato, aut peste extinctarum canis esus, aut intemperies calida, & æstas sub Canicula, aut etiam frigus intensum, & Aquilonium, cum calorem concentrat; item fames corruptæ, & stagnantis Aquæ potus, ob proprij heri interitum mœror, &c.

Signa canis rabidi vulgò patent.

Homo ab eo morsu spumoso tactus, nisi repente ad remedia recurrat, teste Gal. *lib.* 6. *de loc. affect. cap.* 5. Rabidus euadit. Huiusmodi Venenum enim, quandoque intra 24. aut aliquando 40. dies, per omnes corporis regiones serpit, humorem inquinat, & viscera ipsa contagione sua intoxicat: modo tardius, modo citius,

tàm

tàm ob veneni maiorem, & minorem fortitudinem, tàm ob patientis minorem, & maiorem resistendi virtutem. Citius enim venenum, si humores putridòs, & sibi similes inuenit, in ijs stabulatur, tardius etiam si contrarium, & indispositum sibi inuenit subiectum.

Homo post morsum eousque nihil sentit, vsque venenum cordis sinus transierit, quo anxiari, & sine causa ad viam prouocari mœstum, timidumque esse, potum præter morem diminuere, & paulatim omninò recusare, capitis dolore, & vertiginoso motu vexari, tenebras amare, lucem fugere, solitudinem quærere incipit. Cùm autem venenum, vniuersum corporis cruorem, spirituumque subiectum, qualitate sua vestiuerit, & rabies confirmatur, fit membrorum distensio, facies rubet, os in proximum exspuit, latrat, obuios quoscumque dentibus mordet, sitit ardentissimè, & tamẽ aquam abhorret. Delirant aliqui, & aliqui lamẽtabilem eorum statum cognoscũt, sicuti Gentilis *in Comment. in Auicen.* Iuuenem quendam Hydrophoboticum Matrem propriam, ne sese sibi appropinquando irresistibili mordendi necessitati exponat, adhortasse, recenset. *Signa homini morsi.*

Terribilis, & horrendus hic affectus cum alio rabidorum morborum genere morti magìs, quam saluti accelerat. Palus, & Dioscorid. cum Ætio, Celso, & Auicenna, nullos, aut pauciss imos post aquæ abominationem euasisse, sed plures intra quatuor, aut octo dierum spatium extrema fata subiuisse, scriptis tradunt. Surculos dum malum adhuc fodit, & Medici dexteritas fauet, maiores radices impediendæ sunt.

Igitur vulneris inflicti, quantotius cura habenda, vt Alexipharmacis venenum extrahatur. Angustum vul-

nus

nus ferro dilatetur, neque secundùm Aetium, *sen. 2. cap. 24.* ante 40. dies resaretur, huic cucurbita sicca, cum maxima flamma ad attrahendam veneni qualitatem, applicetur, partesque parte affecta superiores, strictè, non tamen nimium, ob earum torpedinis periculum ligentur, vt veneni serpendi conatus impediantur. Multum etiam attrahendi vim habet, culus Gallinæ, cui os clausum sit, admotus; Item etiam Columbæ viuæ, & Gallinæ in medium dissectæ, necnon hirudines applicari possunt. Multi allium, porrum, vel cepam tritam cum Ruta, & Sale sub prunis coctam, & cum Theriaca mixtam applicant. Vel addunt Fermentum, & Axungiam Suilem, vel Synapi cum vrina mixtum, vel stercus Capullum, vel Gallinaceum.

Facta vulneris ratione totius etiam habenda est ratio, vt id veneno, si id iam eousque serpserit, expurgetur, quod Ætius Canibus vomitu per Helleborum excitato expulit, quod neque hominibus inconueniens sit. Plethora suadente, Phlebotomia etiam admitti, vna cum Hæmorrhoidum apertione potest.

Inter Alexipharmaca Dioscorid. puluerem Cancror. fluuiat. in Clybano vstorum recommendat, Galen. pilos, vel etiam iecur Canis rabidi edendum propinat. Fernelius *de abditis rerum causis*, *cap.* 14. Pimpinellam post morsum Canis sumptam ab Hydrophobia præcauere cum alijs ostentat. Gal. *lib.* 11. *Simpl.* Ex radice Gentianæ partibus quinque, & Thuris part. j. ad drach. j. in Vino propinat, quæ hic summoperè conducere potest.

Diæta. Hæc conueniens victus ratio comitetur, quæ præter cibos optimi succi esum cancrorum fluuiatilium capitis Arietis, Piscium saxatilium, allij, & ceparum, potusque

que (si possibile sit) Pimpinellæ admixtionem admittat, Pullos, & Columbas verò, quæ tota substantia hic nocent, grauiaque animi pathemata respuat, aluus sit aperta, Theriaca, pro præseruatione, vel aliud simile Anthidotum semper in promptu sit. Balneum insuper Aquæ dulcis, inter antiquiores præstantissimi suadent, quod nec experientia reprobat, & recentiorum pauci damnant. Id tamen calidum suadet ratio, vt venenum resarando poros attraheret, frigidum enim eos constringendo intropellit, qua de causa Auicenaas id etiam recusauit. Experientia tamen docet frigidum quandoque propter singularem Anthipathiam profuisse, quod cuiusdam generosi Philosophi exemplo confirmatur, qui, antequam Hydropsoboticus esset, huius symptomatis scilicet aquæ, & omnis liquidi abominationis notitiam habuit, & hydropsoboticus postea ratione tamen adhuc constans, huiusque recordatus sibi generosè vim inferendo seipsum in Balneum protrudit, & à rabie Canina liberauit.

COROLLARIA.

I. CAtarchus nihil aliud est, quam materiæ excrementitiæ Cerebri, ab eius facultate expultrice ad subiectas partes transmissio, & fluxio.

II. Omnis contra Fernelij inuentam Cararchi distinctionem in internum scilicet, & externum, disputatio hucusque impedit.

III. Dolor capitis grauatiuus, partim densiuus pungitiuus, in corpore nutrito fit à plenitudine totius.

IV. Ad superiora Animæ conclauia à partium inferiorum fermentatione transmissus spiritus vaporosus, vel copia distendens, acrimonia morsicans, calore inflammans, impetu perturbans, prauitate inquinans, vel Narcosi obtundens, capitis dolorum varietatem explicat.

V. Ocu-

V. Oculorum intuitus ad morborum cognoſcentiam plurimum conducit.

VI. Oculorum deperditos humores aqueum, & vitreum regenerare non impoſſibile.

VII. Pauca ſuffuſionum oculorum genera ſunt ſanabilia.

VIII. Oculorum ſuffuſio fit ex ſeroſi, aut pituitoſi humoris, inter corneæ, & cryſtalloidis ſpatium effuſione, cui ſi commiſcetur bilis, Citrina, ſi Melancholia, nigricans apparet.

IX. Aurium ſordes, cùm adhuc amaræ ſunt, ſalutem, & ſi dulceſcunt, mortem portendunt.

X. Etſi ab omni potenti ſingulis, & vniuerſis vitæ terminus vltimatus præcisè præfixus ſit, tamen Medicina non fruſtra floret.

XI. Vitæ breuitas, & longitudo Aſtrologos etiam decipit.

FINIS.

41764

BIBLIOTECA